


B.

Pro S. ius Patris Benigni
Lippe.



QUÆSTIONES SCRIPTURISTICÆ

In

*Selecta Veteris & Novi Testa-
menti Loca, Earumque*

RESOLUTIONES

Cum subjecta Doctrina Morali
Ex probatis Authoribus collectæ, &
digestæ
Per



A. R. P. M. TOBIAM FERENCZI
Ord. Min. S. P. FRANCISCI Conventualium, Al-
mæ Provinciæ S. ELIZABETH, per Hunga-
riam, Transylvaniam, partesque an-
nexas extensæ, Diffinitorem per-
petuum & Ex-Provinciale.

Cum permisso, & Facultate Superiorum.

CLAUDIOPOLI,

TYPIS ACADEMICIS SOCIET. JESU
ANNO M. D. CC. LXI.

QUALIFICATIONS

SCIENTIFIC

THE

EDUCATIONAL & WORKING
WOMEN FESTIVAL, EDINBURGH

PROFESSIONAL

CRAFTS INDEPENDENT WOMEN
HOPEFUL ANGLO-INDIA CO-OPERATION &
GIRLS

15

EDUCATIONAL & WORKING WOMEN
EDINBURGH CONFERENCE, 1917.
PROFESSIONAL & EDUCATIONAL, THE INDUSTRY
OF TRADE, TRADING, PROFESSIONAL,
WORKERS, EDUCATIONAL, DISTRIBUTION &
DEVELOPMENT & EXPLOITATION OF
CRAFTS & FIBRES & SOILS.

CONFERENCE

EDINBURGH CONFERENCE, 1917.
EDINBURGH, MARCH 25, 1917.

D U M
A S S E R T I O N E S
E X
U N I V E R S A
T H E O L O G I A
SCHOLASTICA , DOGMATICA , & MORALI.
In Conventu A. Carolinensi Ordin.
Minor. Regularis Observantiae Provin-
ciæ Bulgariæ Immacul. Concept. B. V.

M A R I Æ

Anno 1771. Mense Septembri Die

publicæ concertationi exponerent

VV. PP. CAJETANUS SVIDECZKY, DA-
MASCENUS FISCHER, GABRIEL ZE-
BRA, & Rel. Fr. BASILIUS PRIKRIVACZ,
præfati Ordinis, & Provinciæ Professi, & SS.
Theologiæ Studiosi.

P R A E S I D E

P. Fr. DOMINICO NAGY, ejusd. Ord.
& Provinciæ Def. Hab. & SS. Theologiæ
Lectore Act.

AUDITORIBUS OBLAT.

C L A U D I O P O L I ,
Typis Coll. Acad. Soc. JESU. Anno eodem.

11. A. E. 11. B.
dis pugnare tandem possunt. Nonne
M. M. Regalis. Opisianus. Unde
u. Conuestiu. A. Mollien. Quidiu
clericorum. Et. M. T. C. S. D. O. R. A. P.

и съзял
бъдеше УГАИ-ДОМИНИЛ
във външни
и Азъ

• I J O P O F T U A 4 3
members on the Board. Used to be a good record.



SELECTÆ CONCLUSIONES
EX
UNIVERSA THEOLOGIA
SPECULATIVA, DOGMATICA, & MORALI.

1. Oci Theologici sunt Sacra Scriptura, Traditio, Ecclesiæ seu diffusæ, seu in Concilio adunatæ, Sanctorum Patrum, summorum item Pontificum authoritas, consensus Theologorum, & respective Jurisconsultorum, Historia demum, & Ratio.
2. Scriptura Sacra in Canone Tridentino Ses. 4. contenta Deum habet authorem, qui licet pluribus locis verba ipsa dictaverit scriptoribus Theopneustis; probabile tamen est, quod in multis rem tantum, ac sensum revelaverit, 3. Ecclesia est infallibilis in declaranda Orthodoxia, & Heterodoxia textuum dogmaticorum. 4. Unanimis Sanctorum Patrum in quodpiam dogma consensus, infallibile: plurium vero aliis obstantibus sententia multum quidem

probabile , attamen non omnino certum
Theologo præstat argumentum. 5. Prima-
tus Jurisdictionis Romani Pontificis est ju-
ris Divini 6. Fidei objectum materiale est
omne revelatum ; formale , veracitas reve-
lans. 7. Nequit habitus Fidei supernatura-
lis inclinare , aut concurrere ad assensum
falsum. 8. Neque potest Deus infundere
creaturæ errorem etiam pure speculati-
vum , aut patrare miraculum in confirma-
tionem dogmatis falsi. 9. Propositio ex ma-
jori certa non revelata , minori vero reve-
lata , legitime deducta , potest credi fide Di-
vina. 10. Actus fidei est supernaturalis
quoad modum , ejusque certitudo superat
evidentiam naturalem quamcunque. 11. A
se existentia est primum constitutivum præ-
dicatum Dei. 12. In quo Eunomius justo
minus ; Gilbertus vero Porretanus nim-
um , id est : realiter distinxit attributa , & re-
lationes ab essentia. 13. Nos vero attributa
tam inter se , quam ab essentia , proprieta-
tes item personales ab essentia tuemur di-
stingui formaliter ex natura rei. 14. An au-
tem inter prædicata etiam quidditativa
primi gradus hæc distinctio mediet ? Sco-
tistarum tam afferentium , quam neganti-
um opinionem ut probabilem sustinemus.

15. Physicam Dei immutabilitatem cum
eius ad extra libertate conciliari arbitra-
muri in eo , quod unicus , isque efficacis-
simus Divinæ voluntatis infinitus aetius po-
tens sit se ipso ab æterno pro tempore
tendere , vel non tendere in objecta exter-
na sine ullo reali superaddito. 16. Chyli-
starum regnum etiam in Papiæ sensu meri-
to reprobarunt primitivæ Ecclesiæ Patres,
ac Florentinum ; cum quo profitemur, ani-
mas fidelium corpore solutas, quibus nil ex-
piandum superest, mox ad beatificam recipi-
visionem. 17. Oppositam huic negativam
sententiam Joannes XXII. neque ut Do-
ctor privatus unquam assertive docuit. 18.
Enochum tamen, & Eliam existimamus nec-
dum assecutos visionem intuitivam. 19. In-
æqualitas visionis moraliter oritur ab inæ-
qualitate meritorum; physice ab inæqualita-
te luminis : potest repeti etiam ab inæquali-
tate intellectuum. 20. Duplex in Deo est
Scientia , simplicis intelligentiæ necessario-
rum, & visionis libera. Hujus medium apte
statuit Doctor Subtilis Decretum condeter-
minans : ubi enim ab una parte pervide-
ret ex prædeterminatione sequi creatu-
ram in suspensiva sui indifferenta consti-
tutam præmoveri ad materiale peccati,

etiam in concurrentia omnium ad formale
requisitorum ; altera vero ex parte Deum,
ejusque efficacem concursum a creatura,
etiamsi prioritate tantum logica deter-
minari, erat creaturæ plusculum fuisse:
medium prælucente nonnullorum Patrum
authoritate ingressus viam , voluntati
Divinæ vim cum creatura in idem co-
incidenti afferuit : ope cuius illa eam e-
contrariis , aut contradictoriis determi-
naret ab æterno entitatem , quam cre-
ata voluntas aut determinat in tempo-
re , aut determinatura esset , si &c. 21.
Quia tamen systema Scientiæ mediæ &
captu est facilius , & concordandis cum
libertate creata Divinis Decretis in Sa-
cris pulpitis forte usitatus ; illud a
Massiliensium erroribus omnino immu-
ne esse defendimus , & licet ejus objectum
e principio contradictionis satis elicere
nequeamus ; dato tamen hoc postula-
to : quod perspicacia intellectus sit
perfectio simpliciter simplex , si hæc vel
in humanis ante omnem aut præviden-
tis , aut prævisi determinationem ad mo-
ralem usque assurgit certitudinem ; in
Deo morali majorem , & quidem ante
omnem actualem prævidentis , aut præ-
visi-

visi voluntatis determinationem nanci-
scatur, oportet. 22. Deus etiam post
prævisum originale omnes homines sinc-
ere vult salvos fieri. Unde. 23. Elec-
tio efficax ad gloriam , ut coronam ,
facta est post prævisa gratiæ merita. 24.
Trinitas Personarum in Uno Deo pro-
batur ex Sacris utriusque Testamenti pa-
ginis. 25. Liberius primam tantum
Syrmiensem formulam subscriptisit contra
Photinum , quæ quidem Ufiam expri-
mebat , Homousiam autem non abs re-
subticebat ; erat enim Photinus Sabellii
sectator , qui Homousiam pro identita-
te plane personali usurpavit , ut con-
stat ex Concilio Antiocheno Anni. 263.
Patres vero Ariminenses per Homiusi-
am aut intellexere consubstantialitatem ,
aut premente eos Constantio non ege-
runt libere. 26. Productio Verbi Di-
vini cum sit naturalis viventis a vi-
vente in identitatem naturæ originatio ,
generatio est. 27. Hæc non præsup-
ponit cognitionem creaturarum. 28.
Nec est absolute communicabilis intel-
lectio , sed dictio. 29. Spiritus San-
ctus a Patre , & Filio velut ab uno

principio procedit. 30. Synodus Ephesina Ima, & Chalcedonensis prohibuit additionem Symbolo Nicæno contrarium, aut privata authoritate faciendam; immerito proin Græci in causam sui recessus prætexunt prædictos Canones, præsertim cum in ipsa Orientali Synodo Ephesina II.da exstet Spiritus Sanctus ab utroque procedens. 31 Ratio distinguens Verbum a Spiritu Sancto non est sola Spiratio activa, sed etiam Generatio passiva. 32. Secreta cordium licet non sint extra objectum naturalis attingentiae Angelicæ, ea tamen defacto non cognoscunt. 33. Statui elevato oppositus status naturæ puræ est possibilis a statu Naturæ integræ innocentis, & reparatæ distinctus. 34. Systema Præadamicum quam maxime repugnat Scripturæ. 35. In statu naturæ lapsæ existit in non baptizatis peccatum Originale. 36. Quod libertatem hominis non extinxit, sed infirmavit & inclinavit. 37. Quare ad servandam totam plusculo tempore Legem naturalem etiam quoad substantiam, itemque vincendam gravem tentationem necessaria est gratia Christi.

Christi. 38. Specialis item præter ordinarias gratia ad vitanda omnia venalia , finaliterque perseverandum. 39. Non de necessitate, sed de necessitate gratiæ gratuitæ disputabat Augustinus cum Pelagio , & Cælestio. 40. Qui quod gratiam inspirationis nunquam admiserint velut simpliciter necessariam, certum est : an autem gratiam illustrationis simpliciter esse necessariam ad opus salutare aliquando docuerint? incertum est. 41. Zozimus nunquam probavit libellum Cælestii quoad omnes ejus partes. 42. Gratia efficax non consistit in delectatione relative victriçi, nec in prædeterminatione, sed ipsa gratia sufficiens est efficax intrinsece in actu primo, habet autem actus secundi infallibilitatem in systemate Scotistarum a Decreto condeterminante ; rationem doni specialis, item & instrumenti voluntatem humanam quo Deo libuerit flectendi, sortitur ex eo : quod in absoluto Decreto actus salutaris prædefinitivo ea potius gratia a Deo conferatur , cui in scientia conditionatorum Decretis conditionatis subnixa, prævisa est humana voluntas non reluctatura. 43. Gratia formaliter Sanctificans non est i-

pse Spiritus Sanctus realiter. 44. Sola fides etiam fiducialis non justificat: 45. Merita mortificata reviviscunt subsequente pœnitentia. 46. Imperfectio positiva nec est moraliter honesta, nec culpa. 47. Probabilitas in concursu probabilioris, tuthorisque sententiæ an possit fundare judicium practicum moraliter certum? hodie jam dubium est. 48. Actus pure interni authoritate Ecclesiastica directe possunt præcipi. 49. Canones Apostolorum ut hodie ad calcem Gratiani circumferruntur, authographi non sunt. 50. Pecatum mortale in ratione offensæ non est intrinsece infinitum, sed superioris relate ad alias offensas ordinis. 51. Jus rigorosum creaturam inter, & Deum non datur. 52. Sed neque ejusdem rationis duorum in idem dominium subjective plenum, & perfectum est possibile, sive instantaneum, sive permanens. 53. Simplex usus facti in re unico etiam usu consumptibili, est separabilis a dominio. 54. Legitima Præscriptio pro foro etiam interno acquirit jus possidenti. 55. Justitia ad instar cæterarum virtutum moralium respicit medium rationis. Ejus partes subjectivæ sunt

funt commutativa, distributiva, & legalis tantum. Commutativa quoties violatur, parit obligationem restitutionis.

56. Hujus ortui congrue assignantur tres radices: Res accepta, injusta damnificatio, & contractus. Ex re accepta possessor bonæ fidei tenetur quidem rem formaliter, aut virtualiter existentem una cum fructibus formaliter existentibus tam naturalibus, quam mixtis naturæ correspondentibus restituere; fructus tamen virtualiter tantum existentes regulariter facit suos. 57. Ex injusta damnificatione non datur in foro conscientiæ obligatio restitutionis, nisi in eodem foro commissa sit culpa Theologica.

58. Quare Leges Noxales & Aquilia ante sententiam judicis non obligant.

59. Cum de causæ per se damnificativæ positione constat, de secuto vero damno dubitatur, restitutio erit facienda pro rata dubii.

60. Non datur directa justitiæ obligatio bona superiora, per bonum inferioris ordinis compensandi.

61. Contractus metu gravi directe injusto extortus, nullum parit jus metum inferenti.

62. Contractui in

in favorem privatorum lege positiva
irritato , si addatur juramentum , hoc
illum non cotivalidabit ad pariendam
justitiæ obligationem. 63. Pupilli , &
Minorennes alios quidem sibi obli-
gant ; ipsi vero sine interventu Tu-
torum , aut Curatorum suorum aliis nec
naturatiter obligantur. 64. Proxeneta
excessum pretii a domino in mercem
taxati per se loquendo illicite retinet.
65. Usura lucratoria titulo scilicet so-
lius mutui formalis , aut virtualis
obveniens , est jure naturali , ac positi-
vo illicita. 66. Auctuarium tamen mo-
deratum non vi mutui , sed vi legis
acceptum , usura non est. 67. Annuus
operarum Locator notabili anni parte
per ægritudinem præstare operas non
valens , injuste prætendit totius anni
mercedem. 68. Judex nequit Capitis ,
aut mutilationis condemnare reum pro-
batum , quem privata scientia certo
novit innocentem. 69. Advocatus in
dubio licite procurat causam petito-
riam clientis præmoniti , si , & do-
nec prudens spes affulgeat victoriæ.
70. Sententia transiens in rem judi-
catam

catam suffragatur etiam pro foro interno ei , qui bona fide litigavit. 71. Messias verus Deus , & verus Homo jam advenit , qui venturus erat , & quidem vi moderni Decreti etiam perseverante innocentiae Statu. 72. In texenda Christi Genealogia optime sibi cohærent D. Mathæus , & Sanctus Lucas , si (quod testimonio propinquorum Christi probat Julius Africanus) dicatur , Joseph esse filius naturalis Jacobi , & legalis filius Heli. 73. Eidem Genealogiæ non inserimus plures Boozos. 74. Nec subducimus Cainanem Arphaxado , & Sale intermedium. 75. In causa trium Capitulorum nec Orientales Occidentalibus , nec Vigilius contradixit Vigilio : Orientales enim damnabant tria Capitula materialiter , & secundum se sumpta , quæ utpote Nestoriana vere erant damnanda ; at vero Occidentales defendebant ea formaliter , & relate ad rectum Concilii Chalcedonensis circa illa processum sumpta qualiter omnino erant defendenda. 76. Intellec-tus Christi humanus an omnia pos-sibi-

sibilia videat in Verbo , afferentibus
negamus ; negantibus afferimus ; & ta-
men cognitio illa non erit comprehen-
siva essentiæ Divinæ. 77. In Christo
rem duplicis operationis Honorius est
professus ; jure tamen negavit gemi-
nam operationem sensus Nestoriani ,
unamque operationem sensus Eutichi-
ani , quorum intuitu dum vocabulum
unius , vel geminæ operationis suppres-
sum voluit , sequebatur exempla ge-
neralium Conciliorum. Ita enim tertia
Synodus τὸ Deipara prædicabat contra
Nestorianos , sūbticeri e contra volebat
quinta Synodus ob Eutichianorum ab-
usum. Quare in vindicando Honorio
sententia Baronii cæteris velut intrin-
sece probabilior , est præferenda. 78.
Meruit Christus gratiam primam tam
Angelis , quam hominibus Adamo e-
tiam innocentibus ; obindeque horum o-
mnium Caput est per influxum , non
tamen damnatorum. 79. Satisfactio
Christi est actus proprie diæ justi-
tiæ. 80. Sacra menta causant gratiam
moraliter , quorum numerum lotio pe-
dum non ingreditur. 81. Ad regu-

lam

Iam Catholicam prohibuit Stephanus rebaptismum D. Cypriano, cuius erga Stephanum commoti gesta non producunt insolubile argumentum tuerendæ cuidam declarationi Gallicanæ.

82. Christus consecravit in Azymo vespera lunam 14. mensis Paschalis claudente. 83. Transubstantiatio est actio adductiva. 84. Confessio Sacramentalis instituta a Christo est post baptismum in mortale lapsis necessaria necessitate medii in re, vel voto. 85. Contritio, ex benevolo Dei propter se summe dilecti amore concepta, non consistit cum reatu lethali. 86. Sufficit proin ad valorem Sacramenti Pœnitentiæ Attritio, ex amore tamen Dei nobis boni elicita. 87. Absolutio Sacramentalis collata in forma deprecativa est invalida. 88. Pœnitens inevitabili periculo incurrendæ infamiae, aut sacrilegæ Communionis expositus, est indirecte a reservato absolvendus. 89. Ordinationes Hæreticorum, Schismatistarum, Simoniacorum sunt validæ. 90. Impedimentum Criminis incurritur etiam cum ignorantia Juris. Ma-

tri-

trimonii Minister sunt contrahentes.
In rato Matrimonio dispensare potest
authoritas Summi Pontificis.

O. A. M. D. G.

Imprimatur.

Cibinii 12. Aug. 1771.

B. JOSEPHUS ANTON. BAJTAY,



A D
LECTOREM.

EN! offero Lector Benevole ope-
sculum hoc scripturisticum, devoto
mentis affectu si non tuæ, aliquorum
saltem utilitati forte profuturum. Nul-
lus enim Liber inquit Plin. Lib. 3. E-
pist. 5. tam malus est, qui non aliqua
parte profit. Ast metuo, ne vanæ præ-
sumptionis, & temeritatis notam mibi
inuras, vel cuiusdam me gloriae Fa-
melicum existimes. Quid enim, inquis,
novi produco? nisi quod cantatam re-
cantem cantilenam, & cramben toties
coctam, mensæ apponam. Excuso me:
quod

quod desiderium Religiosæ Juventutis
S. Ordinis, illiusque libris necessariis
subinde destitutæ compassio, me move-
rit, ad illius egestatem aliqualiter sub-
levandam; binc, quæ in diversis libris
apta, & convenientia ipsique forte
placitura reperi, sed fusè, & magnis
voluminibus tractabantur, illa ad Ma-
nuale contraxi, ex libris libellum fa-
ciens; fisis in hoc: sæpe placet magnis,
hostia parva; Diis.

Bono itaque tali, quali, præ-
dictæ Juventutis consulturus, dedi co-
natum meum quoisque licuit, si per-
venire non fuit permissum, quoisque
libuit: & textuum S. Scripturæ non-
nullorum sensum, & intelligentiam,
ligneæ licet clavæ reserare volui (quid
enim obest clavis ligneæ, quando nihil
quærimus nisi patere quod clausum est)
ut vel suo sciendi desiderio satisfiat,

bouy

vel

vel in prædicando verbo DEI, dum
usus concedet, & materiæ suæ con-
gruet, ad manum habere possit: non
verò, quod famæ jejunio, in hæc scri-
benda, tam rudi maximè calamo, præ-
ceps devenerim-

Sed fortè dices: selectioribus,
quām iste sit, libris, mundum abun-
dare. Nihil certius. Quinimo fateor
omnia illorum errata (si essent) esse
doctiora, quām omnia mea bene dicta.
Sed quid inde? vix tamen vel raro ex
illorum lectione, lectorem compungi.
Transeat: & unde hoc? dicam. Seneca
Cordubensis Lib. I. quæst. naturalium
Cap. 2. dicit, quod lapis in piscinam,
vel lacum missus, circulos facit pluri-
mos, & hoc idem non facit in flumi-
ne. Quid causæ, quod non eosdem in
flumine, quos in piscina. vel stango,
projectus lapis facit circulos? R: quia
omnem figuram, fugiens aqua distur-
bat

bat, perniciique descensu abripit, &
obruit. Tantundem in rebus spiritu
alibus evenit, atque in dies experimur
qui fit, quod saepe qui plurimas &
audit exhortationes, & libros pios to
tos evolvit, nec tamen spiritualis, ne
que devotus efficitur, nec fructum ali
quem ex lectione, & doctrina hauriat?
quo modo illi nihil adhaeret, nihil im
primitur ex omnibus, quæ legit vel
audit? Causa est, quia omnem figu
ram fugiens aqua disturbat: quia cur
sim prætereuntur, & obiter leguntur,
ac velut in transitu auscultantur; id
circò nihil efficiunt, nec quidquam fru
ctus afferunt sermones exhortatorii, aut
Libri sacri. Si quis in secretioris cubi
lis recessum se abderet, atque ibi di
uculè paullatimque, ac ferventer me
ditaretur & intra stagnum pectoris
cohiberet quæ audivit, aut legit, o
quot illa intra animam circulos face
rent

rent! unus lapillus, dico verbum unicum, sat est innumeris circulis, totidemque cogitationibus, in illa, ad salutem excitandis. Non ideo datæ sunt scripturæ inquit Chrisost. Super Joan. ut in libris eas solum habeamus, sed ut in cordibus conglutinemus eas. Sicut nec speculum à natura nobis datum est, ut barbam è mento, vel pilos è superciliis velleremus, vel faciem coloribus inficeremus; sed ut nosmetipsos nossemus, & Formosi devitaremus infamiam: & deformes remedium sciremus virtutibus, quid quid corpori deesset. Unde Socrates hortari Adolescentes solebat, ut sese frequenter in speculo intuerentur; Nam si Formosi estis elaborandum est ut digni ea specie sitis; sin autem deformes, ut vestram deformitatem virtute, & bonis artibus tegatis.

Hæc non cò dixi, ut Cicero esse

velim pro domo mea , sed ut fatear,
multa nos ignorare , quæ non laterent,
si Sacrorum Librorum lectio nobis esset
familiaris: eò potius dixi, ut pateat,
quem fructum spiritualem sacri illi li-
bri laturi essent si seriam, & talem,
qualis esse debet. illis legendis operam
daremus, Libello verò buic legendo,
si non duos , da saltem unum oculum,
& tuam charitatem humillime obsecro,
ut si quid superflui in eo inveneris re-
seces ; si quid vitiosi , emendes : si
quid verò boni D E U M laudes , &
tunc , ut inquit Hier ad Titum: Ut
licet parte Libri , etiam si totum non
approbes. Vale.

I N

IN NOMINE

DOMINI

QUÆSTIONES IN VETUS
TESTAMENTUM.

I.

Genes. I. ¶. I. *In principio crea-
vit DEUS cælum, & terram.*
Cur non sic dicitur: DEUS creavit in prin-
cipio? ¶ Quia ut dicit Theophilus Anti-
ochenus Lib. 2. contra impugnatores veræ
Religionis: *ut DEUS, qui verè est DE-
US, ex operibus suis cognosceretur esse.* No-
luit ergo DEUS Nomen suum sciri, nisi
priùs opera scirentur, & non tam per suam
pulchritudinem, aut bonitatem, quām per
suas actiones innotescere.

O quantam hoc adferre nobis confusionem de-
bet! si non tempestivè, & primis, quibus pos-
sumus, diebus laborare in operibus bonis, DEO
servire incipimus. Non verecundæ, sed ingra-
tæ mentis indicium est, beneficia tacere divina
S. Leo serm. I. Et quanto majora beneficia sunt

A

homini-

2

hominibus collata , tanto graviora peccantibus judicia sunt constituta. *inquit Chrysostomus.*

2. Quare Moyses in historia creationis nullam facit mentionem creationis Angelorum , cum & illi creati sint ? *q. Qui* institutum Moysis fuit describere historiam creationis mundi visibilis , & rerum visibilium , non vero invisibilium , & hoc ob ruditatem populi Israëlitici , & ejus pronitatem ad idololatriam : qui mentionem Angeli , tam nobilissimae creature audiisset , facile eum loco DEO adorasset .

Gratias agamus DEO Domino nostro qui nos voluit venire ad agnitionem Nomis sui , & veræ fidei , & non permisit nos defuere in Idola . Hæc fors nos tetigit eterna merissima DEI miserentis bonitate *Magnum est inquit Augustinus.* beneficium , quod eo tempore , & inter tales me nasci voluerit DEUS , per quos ad fidem suam , & Sacramentum pervenerim .

3. Gen. i. Quare DEUS cuncta à se creata opera laudavit . *Et vidit DEUS quod esset bonum.* homo vero cum esset productus , illaudatus remansit , non enim ibi subjungitur : *Vidit DEUS quod esset bonum?* *q. Ex S. Ambrofio,* quia pul-

pulchritudo, & bonitas aliarum rerum corporalium, & animalium tota est posita in exteriori, & quod in oculos incurrit, non autem in perfectiori esse, & intrinseco; ac propterea ea statim laudavit DEUS. At hominis bonitas, & perfectio non est in isto extrinseco, & apparente, sed in interiori; hinc homo non est laudatus ab extrinseco, sed est laudabilis ab intrinseco. Hominem non forinsecus DEUS ut cætera, sed interioris armavit, *inquit Lactantius.*

Sicut DEUS, cunæta, quæ fecit, vidit esse valde bona; ita nos utamur omnibus creaturis, tanquam bonis, & idoneis ad prosecutionem finis nostri ultimi, qui est DEUS super omnia benedictus.

Gen. 2. v. 9. Dicitur DEUS produxisse lignum vitæ, lignum quoque scientiæ boni, & mali. Quæritur ad quid? *v.* Lignum vitæ fuisse ad impedirem senectutem: lignum verò scientiæ boni, & mali vocatur ex evenitu consequenti; quia per esum illius ligni, homo experimentaliter cognovit, quanta esset distantia inter bonum obedientiæ, & malum inobedientiæ, ut

plus quam' cœli, à terra. Maximæ enim dignitatis, & incomparabilis pretii est obedientia, quæ sola pretium cunctarum virtutum includere videtur. Nemo certius, quam verus obediens posse salutem sperare videtur ; de obedienti enim omnia bona credere, & cogitare, quidquid de integrerrimo, & Sanctissimo possumus.

5. Gen. 2. v. 11. *Nomen uni Phÿson.*
Quid est in significatione Phÿson ?
Phÿson est fluvius è Paradiso egrediens, idem significans, ac *mutatio oris*. Ità Hieronymus, Beda, Lyran. Sic autem appellatum putat Abulensis, quia faciem suam, id est apparentiam mutat in colore; quia alicubi clarus, alicubi turbidus: in quantitate; quia alicubi diffusus, alicubi strictus: & sensu, quia alicubi frigidus, alicubi calidus.

Quod huic fluvio è Paradiso exeunti accidit, id Religioso extra Monasterium crebro evenit, qui dum in Paradiso claustrum dulciter conquiescere potest, quot mutationes incurrit, dum ab illo, tam jucundo loco leviter excurrit? quot bellis exagitatur? quot in corde variationes patitur? quomodo nunc effunditur, nunc vero contrahitur,

&

& angitur scrupulis de liberiore, & effusiore
vita natis? quam s^ep^e friget devotio, &
estuant cupiditates malæ. Tractantur nugæ;
laudantur facetiæ: nobile tempus jocando
teritur: respectus minuitur. Religiosa gra-
vitas perditur: omnes sensus periclitantur,
& ad illicita objecta invitantur, & vix un-
quam ad cellam reditum sine lapsu.

Gen. 2. v. 15. Tulit DEUS hominem, 6.

*& posuit in Paradiso voluptatis, ut ope-
raretur, & custodiret illum. Quid ope-
raretur? fortè ut agricolam ageret? cer-
tè non est verisimile Adamum ante pec-
catum, à DEO ad hujusmodi laborem
fuisse compulsum. v. Ut operaretur (in-
quit August. Lib. 8. super Genesim:) Præcepta, & mandata, quæ ei DEUS
hic injunxerat, eaque operando sibi Pa-
radisum custodiret, ne scilicet eum amit-
teret, uti posteà amisit, quia illa opera-
tus non est.*

Non est felicior animæ in hac vita paradi-
sus, quam esse in gratia DEI absque omni la-
be peccati. In hunc Paradisum voluptatis
posuerat te DEUS, dum in Baptismo salu-
taribus undis ablutus es. Posuit inquam,
ut operareris, & custodires illum, sed heu!
quælis Pater, talis filius. Non posuit te DE-
US in hoc Paradiso, ut otieris, & deses

dormias, sed ut salutis tuæ negotia opere-
ris, & sedulus excubes, ne fur veniat, &
conscientiam tuam furetur.

7. *Gen. 2. v. 17. In quocunque die come-
deris morte morieris.* Quæritur, quo-
modò hoc verificetur? nam comedit,
nec tamen tunc mortuus est, sed vixit
Annis nongentis triginta. *R. Ly mo-
rieris* ibi non summi pro ipso moriendi
actu, sed necessitate moriendi, hoc est,
quod necessitatem moriendi dum, &
quando incurreret, non enim gustatò li-
gnò mortuus est, sed statim, ac come-
dit, incepit ad mortem tendere.

Non multum curandum est de morte cor-
poris; ut enim moriatur, & D E U S vult,
& natura jubet: ad hoc maximè attenden-
dum, ne anima, quæ peccaverit in peccatis
moriatur, sed visione DEI æternum frua-
tur. *Non multum curandum est eis,* qui necessa-
riò morituri sunt, quid accidat, ut moriantur,
sed moriendo, quò ire cogantur. Inquit August.
Lib. I. de Civ. DEI Cap. II.

8. *Gen. 3. v. 1. Diabolus tentavit Eam*
in forma serpentis, quare non potius in
specie columbæ? *R. Quia,* ut inquit
Petrus Lombardus Lib. 2. senten. Di-
stinct. 21. *Venit ad hominem in serpentis*
Specie

Specie, qui forte si permitteretur in columbae specie venire, maluisset: sed non erat dignum, ut spiritus malignus illam formam homini odiosam faceret, in qua Spiritus S. appariturus erat.

Nunc Diabolus tentat hominem in forma Instantiae, in qua petit transitum per cor nostrum: *Incurvare. ut transeamus.* Isa. 51. v. 23. Non peto diu ibi morari, admitte hac vice quod peto, accuses te postea de illo in Paschate; & si sponte non exivero, vel invitum me cum dedecore ejicias; tantum *incurvare, ut transeam.* Ecce! petit transitum, & interim vult erigere vexillum, sed non credas inimico tuo in æternum. Eccl. 11. v. 10.

Gen. 3. v. 8. *Absconditque se cum uxore sua, cum audiisset vocem Domini DEI deambulantis in paradyso.* Cur deambulantis, & non properantis ad eum modum, quo Cant. 2. *Vox dilecti mei ecce iste venit saliens in montibus, transiliens colles?* Cur aliis passibus ad sponsam dilectam, aliis ad transgressores Protho-parentes venit Dominus? Sponsæ enim videbatur saliens, & transiliens: Protho-parentibus deambulans: ibi volabat, hic vix movebatur. v. Ad Protho-parentes impeditis pedibus venit,

quia venit, ut severus Judex tristem mortis sententiam denuncians, quam, tum ipsi, tum posteri eorum appetituri essent: ad sponsam verò venit, ut amantissimus Sponsus, ut eam cumularet beneficiis, & excoleret gratiæ donis.

Voluit eò exemplô erudire Judices, & Superiores, in quorum manibus sunt panis, & gladius, rigor, & clementia, gratia, & justitia, ut ad austrius agendum, & decernendum pœnas, lento pede pergant: ad beneficia verò præstanta sint agiles, conciti, & aquilis velociores.

10. Gen. 3. v. 9. *Ubi es?* v. 13. *ad Muli-*
lierem: quare hoc fecisti? Quid causæ,
 quod DEUS Adam, & Evam tam diu
 interrogare voluit? v. *Ut servaret or-*
dinem judicarium, prius inquirens,
quam condemnans. inquit *Abulensis.*

Sic omnis Judex, & Superior; qui re-
 ctus, & exactus esse vult, prius quam sen-
 tentiam pronunciet, debet confessionem tum
 accusatoris, tum rei, benignè excipere, &
 causâ utrinque ad amissim examinatâ, ad
 sententiam procedere: sicut Cytharoedi faci-
 unt; qui antequam cytharam pulsent, singu-
 las chordas sonantes audiunt, ac inter se con-
 temperant, ut congruum sonum dent, & har-
 moniam. Secùs veri harmonia solvetur, &
 dissonabit a justis Legibus sententia.

*Gen. 3. v. 12. Mulier, quam dedi- 11.
sti mibi sociam dedit mibi, & comedi.*
*Quæritur: quomodo Adam omnibus gra-
tiæ donis ditatus passionibus suis adeo
dominans, & verbis solùm, non ab int-
itus à concupiscentia tentatus, ad pec-
catum induci potuit? R. Hoc factum
fuisse ex nimio erga Mulierem sociam
amore, ne, si non consentiret, Eva ob-
nimiam displicentiam moreretur. Lege
S. Aug. qui Lib. 11. in Gen. Cap. 47.
*Sic habet: Noluit contristare eam, quam
credebat à se alienatam omnino interire.**

Si homo in Paradiso terrestri, tanta in
tranquillitate stulto amore captus est, quis
modò inter tot prælia tutus erit? ceciderunt
columnæ, quid arundines facient? Ite jam
adolescentes, & puellæ! præsummitis ne,
vobisne confiditis, dum in omni libertatis li-
centiæ genere inter vos agitis, amorisque
mutui contestatione quotidie magis ardetis,
vos nunquam recti limites transgressuros?
utpote qui estis indomitîs passionibus, poten-
tiis debilitatis, habitibus vitiosis, mente ex-
cœcata, animo accensō, & undequaque ten-
tatō ad plenum repleti.

*Gen. 3. v. 23. Emisit eum Dominus 12.
DEUS de Paradiso voluptatis. An au-
steritas fuit, an pietas, quod inde tam*

citò expulsus fuerit? ¶ Indulgentia fuit, misericordia fuit. Nam si inter amoenitatem, fontium irrigua, & florum fragrantiam, & avium concentum, dies multos transmisisset, demum vero ejectus fuisset, & ad stivam condemnatus, ut glebas verteret, & victimum labore, ac sudore pararet, & sexcentas calamitates pateretur, hoc illi acerbiorem cruciatum, & intolerabiliorem dolorum attulisset. Quò ergo citius durioribus laboribus exerceri coepit, eò minus molestiæ ex iis accepit, & hoc amaras operosæ exercitationis pilulas texit. Bonum est citò asfescere laboribus, uferendi molestiam, confuetudo corrigat & leviorem faciat. Ad cuncta, ad quæ possibile est, statim ab initio melius ei asfescere. inquit Arist. Lib. 7. Pol. 11.

13. Gen. 4. ¶ 2. Fuit Cain Agricola
Quomodo agricola? aratoria ars, multis alias supponit artes: & qui dicit agricolam, multos supponit artifices. ¶ Cainum Patris magisterio, & Fratrum ope agriculturam exercuisse. Quod sibi quisque persuadebit. qui, (ut inquit Alex. Natalis) Evam, quolibet anno ter

geminos partus effudisse cogitaverit. Neque tamen existimandum est, terram tunc coluisse homines, ea ratione, iis instrumentis, eoque apparatu, quo nostros videmus Agricolas. Cæterum non est incredile, quod ad annum mundi centesimum trigesimum, quo Abel à Caino occisus est, ad multa centena millia propagatum sit genus humanum, quamvis in Genesi paucissimorum hominum illius temporis mentionem faciat Moyses. Cur autem silentio præterierit, dicit S. August. Lib. 15. De Civ. DEI. Cap. 3. ibi vide.

Altissima est tua Religioſi, vocatio. DEUS non conduxit te ad aratra, & ligones; ad scindendas, & fodiendas terras: ad putandas, & pastinandas vineas. Non te vocavit, ut terrena sapias, & corpori servias: ut Doctor, & Superior evadas; sed ut honorem DEI zeles, saluti tuæ, & aliorum invigiles: sanctus fias, & in bonis non deficiens, animam tuam lucrifacias.

Gen. 4. v. 8. Consurrexit Cain ad 14.
versus Fratrem suum Abel, & interfecit eum. Quæritur, unde Cain sciverit, quod plaga mortem inferat? nullius cœdis audaciam suam antegressæ, spectandum.

dum, quod imitandum invitaret, habuit; quis ergo illi, tam immanis sceleris duxor fuit? ¶ Non aliud inquit Nazianzenus, quam qui talia facere sciatur, soleatque. Ad vitium namque etiam si nemo ducem se nobis præbeat, nemo per manum ducat, nemo pedes regat, nec ullus Magister sit; nos ipsi viam facillimè invenimus, nostrisque vitiæ naturæ ponderibus urgemur. Ecce Infantes, ignari licet, quid sit injuria; tum tamen ira perciti, meditantur, expetuntque vindictam. Vix homo nascitur, & ecce tibi peccandi magister est, nullius Doctoris indigus.

15. Quare Cain Fratrem suum eduxit in campum, cuius erat rubra terra, ut illum ibi interficiat? ¶ Quia sperabat non posse cognosci sanguinem fusum, quem concolor terra bibisset, itaque audacter etiam negavit facinus, sisus suæ industriæ, arbitratus, fieri non posse, ut interencionis convinceretur, eo, quod cruor, rubore terræ confusus, ut putabat, cognosci non posset.

Discat hic peccator, nihil sibi profuturos ad tegenda, inumbrandaque sclera sua,
do-

dolos; nullus enim est tam reconditus animæ sinus, nullus tam abstrusus cordis recessus, in quem acies oculorum DEI non penetret.

Cur Adam filium suum Cainum non 16. objurgavit de commisso Fratricidio, & ne quidem mentionem ipsi fecit? R. Adamum non fuisse ausum sceleris arguere Cainum; si enim eum arguisset, Cain potuisset, & voluisset Patri suo sic reponere: quid me hujus, quod Fratrem meum occiderim, sceleris arguis? Tu mundum universum ex comedione pomi vetiti, perdidisti, & nunc me redarguis minimi, respectivè, si cum tuo conferatur, facti. Satiùs ergo judicavit Adam silentiò rem præterire, quam sibi à filio pudorem inuri.

Multos hodie Parentes invenies, qui flagitia filiorum suorum, impunè abire permitunt, & silentiò prætereunt, qui si forte eadem cum filiis nave iniquitatis navigant, timent ipsos dum peccant, arguere, & punire, ne hoc ab illis responsum accipient: *ait latro ad latronem.*

Quare Abel antequam occideretur, 17. custodiebat oves? quos fures timere debuit, si præter Patrem, Matrem, &

Fra-

Fratrem nulli fuerunt homines ? ¶ Abel , artem pastoritiam exercere poterat , quamvis fures timendi non essent ; gregem scilicet ad opima , & salubria pascua ducere : cavere , ne in noxias , & venenatas herbas oves incautè ruerent , & ne dispergerentur , & errarent eas à feris tueri , in caulas reducere , curam omnem necessariam illis exhibere . An autem præter specificatos homines , plures alii fuerint , quæstio 13. declaravit.

Habes unam oviculam , dico , Animam tuam , quam non ad mundi , sed Christi Pascua ducere debes , ut à venenatis vitiorum herbis , & feris infernalibus custodire , & tueri possis . Nam mundus quidem pascuadat , & dando magis inescat , ut capiat , quam commodet , ut bene faciat .

18. Gen. 4. ¶ 26. *Iste cœpit invocare nomen Domini.* Nonne Adam , Eva , Abel , Seth invocarunt nomen Domini ? quomodo ergo Enos cœpit invocare ? ¶ Quia ut dicit Menochius : Authore , & suasore Enos , cœperunt tunc homines passim , & palam certis ceremoniis , & conceptis precum formulis DEUM colere . Et ut habet Ildephonfus de Par-

dilla :

dilla: supra omnes priores pius, & religiosus erga DEUM fuit, non modò colendo pietatem, & religionem pro se; sed etiam prædicando abique omni Gigantum respectu.

Enos, idem sonat, ut dicit *Lauretus*, ac: *oblitus*, aut *desperatus*. Concionator, ad instar oblii, debet concionari, & prædicare, non verò ad instar memoris, huic obtrudere palpum, alteri non item. Instar desperati prædicare debet, non verò circumspecti, hunc laudare, alterum præterire: Plebeorum tantum vitia exprobrare; Dominorum dissimulare. Nam ut inquit Orig. hom. 71. super Num: Dum Sacerdotes (in Cathedris) uni parcunt, omnibus moliuntur interitum; quæ est ista bonitas uni parcere, & omnes in discrimen adducere.

Gen. 5. v. 2. Masculum, & fœminam creavit eos --- & vocavit Nomen eorum Adam. Cùm Adam sit nomen proprium viri, quæritur, cur, & Eva vocatur Adam? *v.* Vocati sunt ambo *Adam* ab hebræo *Adama* id est: homo, ab humo, ex qua creavit eos. Eva ergo etiam est Adam, id est homo.

Tu homo pariter es ab humo. si ex materia cœli, vel ex latere (ut ita dicam) Angeli formatus fuisses, non deberes tamen tantum

tantum superbire , quantum subinde superbis. Alia quæcunque iniquitas in malis operibus exercetur . ut fiant ; superbi vero etiam boni operibus insidiatur , ut pereant. Aug. Reg. Cap. 5. tom. 1. Superbis? Quid fuisti? Specie ma fætidum : quid es? vas stercorum ; quid eris esca vermium. S. Bern. O necessitas abjecti nascendi , misera vivendi , dura moriendo

20. Gen. 6. ¶ 3. Eruntque dies illius cœlum viginti Annorum. An non plus vivat homo , quam centum viginti Annis cum multi plus vixerint? ¶ Non illud esse sensum sacri illius textus , sed hunc quod DEUS post centum viginti Annos inducit diluvium super universam terram , & usque vivent , non ultrà , quis abusus omnia hauriet. Cæterum DEUS visâ crescente in dies malitiâ hominis , detraxit teste Hieron. viginti annos , & inducias vitæ illorum contraxit ad Annos centum. Hoc patet ex Scriptura S. Nam dum de ædificanda Arca DEUS præceptum Noëmo dedit , hic fuit Annorum quingentorum , dum vero in Arcam intravit , fuit sexcenorum Gen. 7. ¶ 6.

Vide ! immensam DEI benignitatem , & infinitam clementiam , qui quantumvis irascatur , & succenseat graviter , nunquam clavé justi-

justitiæ ita occludit fores Misericordiæ , ut non aliquam relinquat misericordiæ rimam. En! centum viginti annos indulget hominibus illius temporis ad agendam correctionem.

*Gen. 6. v. 10. Et genuit tres filios. 21.
Sem, Cham, & Japhet.* Quæritur, quis inter hos tres Noë filios fuerit primogenitus. & Japhetum fuisse primogenitum: Quia postquam Scriptura S. cap. 10. v. 1. Gen. numeravit tres filios Noë dicens: Hæ sunt generationes Filiorum Noë: Sem, Cham, & Japhet, statim à recensendis decem filiis Japhet exordium dicit, qui ordo præposterus esset, si Japhet filiorum Noë non esset primogenitus. Quod autem *Sem* primo loco ponatur, non est intentum Sacrae Scripturæ, illum esse Primum ordine naturæ, sed habita ratione ejus dignitatis; cum ex ipso, seu ex ejus familia proditurus esset Christus verus Mef-sias. *Cham* verò quamvis secundo loco ponatur, fuit tamen ultimò genitus, ut habetur *Gen. 9. v. 24.* in hæc verba: *Evigilans autem Noe ex vino, cùm didicisset, quæ fecerit ei filius suus minor,* id est *Cham.* Patris sui irrigor &c. Hæc *Alexander Natalis, & Graveson.*

In iudicio universali, non exiget DEUS rationem ordinis nativitatis tuæ, primus, secundus, vel ultimus fueris; exiget autem de primo, secundo, tertio &c. Decalogi Precepto violato. Non quæreret, quotus intellexeris promotos ad dignitates, fueris? quæreret autem: an secundum leges cœli, Ecclesiæ, statutis ordinis tui, vitam immaculatè traduxeris.

22. Gen. 7. v. 16. *Et inclusit eum Dominus de foris.* Cur ostium arcæ, non Noë, nec Angelus, sed DEUS ipsius clauserit? *¶ Claves arcæ, DEUS non Noëmo, nec Angelo concredidit:* Non Noë, inquit Chrysost. videns generalem hominum interitum, dolore conficeretur & Angelus misericordia motus suos clientes in tam horrendo cataclysmo naufragantes, in arcam intromitteret.

Si DEUS in hac vita, ubi locus est misericordiæ, nec Noëmo, nec Angelo clavis arcæ concredidit, ut peccatores in illam per illos immittantur, profectò non erit ullus in mundo Noë, nec Angelus in Cœlo, qui in altera vita, ubi locus est Justitiæ, claves Justitiæ Domini DEI, de manibus ejus eripiat, ut in domum DEI peccatoribus introitum permittat.

23. Gen. 9. v. 4. *Carnem cum sanguine non comedetis.* Quare? *¶ Voluit Deus*

US: comprimere propensionem ad homicidia, ne scilicet siue faciendo sanguini bestiarum, tandem nec humano parcerent, qui ita cordi DEO est, ut hoc diceret: *sanguinem animarum vestiarum requiram de manu cunctarum bestiarum*, id est: punire volo etiam bestiam, si illa hominem occiderit.

Peccatum ordinariè, quod in consuetudinem venit, secum trahit alia multa, etiam se graviora, quibus aperit viam. Sic si Religiosus obliviscatur fervoris, quo cœpit, incipit nugari, postea vagari, & effundi tum descendit ad murmurationem, hinc ad impatientiam, deinde ad inobedientiam, demum ad fastidium disciplinæ; a minori ad majus, parvus error in principio, maximus in fine, inquit Arift.

Gen. 13. v. 8. *Ne quæso sit iurgi-* 24.
um inter me, & te. O insignem Venerabilis senis comitatem, & urbanitatem! qui ut pacis, & consanguineæ necessitudinis amabilissimum nodum non solveret, nullam habuit ætatis suæ majoris, nullam canitiei, nullam existimationis rationem, dum ad pacem, & concordiam, consobrinum se juniores invitavit; cum tamen ratio postulare videatur, ut Loth utpote junior, Abrahamum potius inviteret.

Quām pulchrum pro eruditione nostra
xemplum! quō docemur quamvis magni,
in solio honoris, cedere aliquid de jure,
dignitate nostra, si bonum pacis, ac concor-
dia, sic procurari, & conservari postule.
Ad hunc modum conservantur pax, concor-
dia, & amicitia, & extingvuntur inimicitia
cūm quis ex sua parte aliquid perdit, &
suo sentire remittit, de suāque existimatione
cedere novit. Si cūm unus irā fuerit succen-
sus, alter non æquè inflammetur: si cūm
onus furere cœperit, alter dissimulaverit,
non æquò succenseat: si defectus suos vici-
sim tolleraverint, & de honore suo mutu-
cesserint, nodum amicitiæ illorum sola mo-
solvet.

25. Gen. 16. v. 5. *Inique agis contra me*
Cur Saara per ancillam suam Agar offens-
sa, Abrahamum virum suum quærimo-
niis appetit, & ancillam offendente
non curat? ¶ Quia ut inquit *Abulen-*
sis: non conquerebatur principaliter Sa-
ara de Agar, sed de Abraham, quia vi-
debat Abraham contemptum Saaræ,
dissimulabat. Abraham itaque videns an-
cillam Agar, quod tam procax, temera-
ria, & contumeliosa in Heram esset, pe-
tulantiam, & arrogantiam illius non cor-
rigebat, ideo Saara dixit: *Inique agis*
contra me.

Hinc

Hinc discant superiores, & Prælati, qui subditorum errata vident, tacēntque, & disimulant, & non advertunt immania damna, quæ perniciabili suō silentiō, & noxiā taciturnitate generant. Alit impunitas in pejus audaciam. Peccare, & peccanti favere, perinde est, inquit *Philos.*

26.

Gen. 16. v. 8. *Agar ancilla Sarai, unde venis? & quo vadis? cui illa: à facie Saarai Dominæ meæ ego fugio.* Quæritur, cur non respondit ad secundam hanc interrogationem: *quò vadis?* *v. Causa est quia Agar decreverat in Aegyptum se conferre ad idololatras, à tam sancta Abrahæ domo, & erubescerat fugitiva mulier exprimere, quò vadat.* Nam nihil est opprobrio dignius, atque rubore, quām justorum conversatione relictâ, improborum consortio sociari. *Lege Lippomanum in coiment. cit. Scripturæ sic loquentem: Erubuit confiteri à domo tanti viri, probatæque dominæ, ad Aegyptios rufus redire idololatras.*

Quoties tu fugis domum **DEI**, quæ est Ecclesia, à facie confessarii? à facie celebrantis? à facie Concionatoris? & non erubescis in domo recidiva peccatorum habita-re. Res mira, quod omnis pro DEO, & anima suscep-tus labor, tam gravis nobis vi-dea-

deatur, ut si ingenti saxo ad collum ligato
onerati simus. Quam longa videtur Missa!
quam brevis mensa! quam prolixa videtur
Concio, quam grata murmuratio! Nonne
dies, menses, anni alii ex aliis transmittun-
tur ludis, jocis, recreationibus: vanis, &
otiosis obambulationibus sic, ut inter haec
nulla sit vitae futuræ recordatio? omnis haec
extremam nostram vecordiam, & amentiam
satis indicant, qui tam anxiè quærimus illa
quæ nobis perniciem pariunt æternam.

27. Sed quare Agar fugit? ¶. *Affligente*
eam Sarai, fugam iniit. Ista castigatio
moderata erat, inquit Abul. tamen A-
gari intolerabilis videbatur, quia ex Su-
perbia non poterat inclinari Sarai Domi-
næ suæ. Habent hoc, qui magnos ha-
bent spiritus, & superbiæ cogitationi-
bus pascuntur, ut omnem fugiant disciplinam,
& omni iussioni quantumvis le-
vi, humeros suos impares existiment.
Si penitus quis inspiceret, quid rei sit
homo, plura intra se inveniret, quibus
ad humilitatem invitaretur, quam qui-
bus ad superbiam incitaretur.

28. Gen. 18. v. 11. Erant ambo senes,
proiectæque ætatis. Quid mysterii ha-
beat, quod Abraham venerabili senis ap-
pella-

pellatione cohonestatur sic ut majorum ,
quos habuerant , nullus senex factus in
ulla scripturæ parte superiori narretur ?
¶ Causa est ut inquit Philo . *Senior non*
ex longitudine temporis , sed ex laudata
virtute putatur. In illa cœlorum regia
non vocatur antiquus , qui longos annos
exegit , nec qui sæcula pluscula transmis-
sit , sed , qui multis meritis excedit .
Hinc , quia Abraham majores suos o-
mnes , à quibus ætate superabatur , vir-
tutum copiis , & perfectionis gradu lon-
gè infra se relinquebat , idcirco Abra-
hamo , non illis , gloriosum senecionis
vocabulum conceditur .

Qui multum ætatis vivunt sine probitate ,
longævi pueri dicendi sunt , inquit Philo .
quid enim prodest Christiano centum vitæ an-
nos numerare , si tam longo tempore , nul-
lum in militia spirituali præclarum virtutis fa-
cetus edidit , nec momentosum aliquid , quod
ad cultum , & gloriam DEI spectat , fecit .

Gen. 18. ¶ 32. Quid si ibi inventi 29.
fuerint decem ? & dixit non delebo pro-
pter decem . Cur Abraham infra non de-
scendit perorando pro octo , sex , qua-
tuor , vel duobus ? ¶ Quia ut loqui-
tur Cajetanus : *Significantius narratur ,*

quod cum DEUS ultimam responzionem finisset, non delebo propter decem, recessit non expectans ulteriores preces. Si moram indulsisset DEUS Abrahæ, ut precari amplius potuisset, forte ad unum usqne descendisset, rogassetque ut propter illum unum, omnibus parceret. Ut ergo à se periculum succumbendi orationi amoveat, fugâ declinavit eum, à quo rogari poterat, abilisque Dominus, postquam cum illo de decem justis convenis-
set.

En! quantum valeant justorum apud DEUM merita, ut unius justi gratia, si roga-
tus fuisset, omnibus malis pepercisset! Alter stylus est hodie Christianorum; si enim
sacerdos vel unus cespitet, jam totus Clerus
pro ebrioso proclamatur; si Religiosus vel
unus in luxuriam incidat, jam totus Ordo
pro simili merorum grege porcorum diffama-
tur. Nonne hoc est occidere justum cum im-
pio? immo justos multos propter unum impi-
um? Nunquid injustum esset, & DEO exo-
sum, si Clerus, & Religio, omnes læculares
vocaret fures, latrones, ebriosos, fornicari-
os? cum talibus sceleratis magis abundet
mundus, quam Clerus, & Religio. Propter
Iscariotem odisse Apostolos, impium est. Quis
contemnat sanctos Angelos, quod ex sociis
illorum tot millions dæmonum facti sint.

Gen.

Gen. 19. v. 24. & 25. Igitur Domi- 30.
 nus pluit super Sodomam , & Gomorham
 sulphur , & ignem à Domino de cælo.
 Quid est illud: pluit Dominus à Domi-
 no ? ¶ Sensum esse , quod pluit Do-
 minus à se ipso , puta à se , suaque omni-
 potentia , non verò à causis naturalibus:
 Quasi diceret: Non naturalis , sed cœ-
 lestis , & divina fuit hæc pluvia ignis ,
 & sulphuris , ita *Vatablus* , & *Oleaster*.
 Non ergo hoc Sodomæ incendium fuit
 terrestre exhalatum , eructatumque ex
 terra.

Vide quam severa sit DEI iustitia ! qui
 nunquam furorem suum potentius exerit ,
 quam dum carni se dedunt mortales , & per
 libidinem , grave in se intemperantiae flagiti-
 um restagnari patiuntur. Decipit libido ho-
 minem , dum sub quadam specie boni palli-
 ata dicit. *Ad tempus debet quisque ad libitum*
vivere , ut possit postea fortiter pœnitere.

Gen. 19. v. 26. Respiciensque Uxor 31.
 post se , versa est in statuam salis . Qua-
 re rectè in statuam salis uxor Loth ver-
 sa est ? ¶ Quia ut in Libro Sapientiæ
 habetur ; per quæ quis peccat , per hæc ,
 & torquetur. Uxor Loth nocte præce-
 denti teste Lyrano in cap. 19. Gen. pec-
 cave-

caverat in sale ; petenti enim Loth salem pro condimento cibi Angelorum, quos homines putabat, ipsa noluit dare, quia secundum modum Sodomorum, affectum ad hospites non habebat. Alii dicunt versam in statuam salis propter inobedientiam, & incredulitatem, ut habetur Sap. 10. *Incredibilis animæ* (id est incredulæ) *memoria stans figmentum salis.* Voluit DEUS severius punire, & novò salis exemplo fatuos docere, credendum in omnibus, & obediendum DEO, nec in sancto proposito respiciendum retro.

A fronte, non à tergo posuit omnia sentiendi instrumenta supremus opifex, ut nos tacitè, ac secretò moneret in virtutum itinere semper progrediendum esse, & nunquam retro abeundum. Hæc est bona, & præclara DEO serviendi, & placandi ratio : semper currere, & nunquam subsistere in curriculo nostræ salutis, & profectus Boni equi hæc nota est: quando stans impatienter tolerat quietem, & terram pedibus pulsans, cursum meditatur inquit *Dyonis. Uticensis Lib. 6.* Hoc debet facere servus DEI, ut omnem impatienter ferat in via virtutis quietem, & curet, ut currat.

Gen. 19. v. 37. Peperit ergo major 32.
 filium, & vocavit nomen ejus Moab:
 minor quoque peperit, & vocavit nomen
 ejus Ammon, id est: filia populi mei.
 Quæritur, quæ ex his duabus Loth fi-
 liabus fuerint honestor, & verecundior?
 ¶ Minorem præ majori. Hæc enim
 nomini, quod imposuit filio, indelebili-
 bus characteribus insculptum reliquit su-
 um flagitium vocans eum *Moab*, hoc est:
 ex meo Patre. Quasi dixisset: volo o-
 mnes intelligent obscuram, & obsec-
 nam hujus filii mei originem, quod-
 que illum non aliunde, quam ex Patris
 mei semine concepi, & peperi. Alte-
 ra vocavit filium suum *Ammon*, hoc est
 filius populi mei, quod significabat qui-
 dem ex aliquo generis sui viro concep-
 se, Patrem tamen non prodebat incæsti
 partus authorem; potuit nimirum ex a-
 vunculo aliquo, aut consanguineo aliquo
 concepisse, tunc enim licuit Matrimoni-
 um cum talibus inire, ut patet de Saara,
 quam duxit Abraham Avunculus ejus.

Discant hinc censores, & momi, quantâ
 illis sit attendendum curâ, ut Parentum,
 Praelatorum, & Superiorum errata non pub-
 licent, sed obvelent, ne quos D E U S eve-
 xit

xit, illos proterendos sutorum pedibus sub-
jicient, & acta, facta illorum lippis, & ton-
foribus hianti linguâ enarrent.

33. *Gen. 20. v. 8.* *Statim de nocte con-
surgens, vocavit omnes servos suos, &
locutus est eis omnia verba hæc. Quæ-
ritur, quare Rex Abimelech vocavit ser-
vos suos? & quos servos?* *R.* *Quia
Regem tam vehementer suum sollicitavit
somnium, quod vidit, tantumque illi
horrorem visio intulit, ut necessè habu-
erit convocare servos, id est consiliarios,
quibus somnium suum comunicavit.*

*Quam commodum Superioribus exem-
plum! ex quo discant mox convocare consi-
liarios, præsertim cùm de rebus majoris mo-
menti deliberandum. Nam ut homines su-
mus, & errorum periculis expositi, Lucibus,
& Ducibus egemus, a quibus dirigamur, &
quid potissimum congruat, intelligamus. A-
lias si consiliarii à latere Superioribus desint,
laterum dolore confidentur. Nemo sapiens sa-
pit ex semetipso, sed ex alio.*

34. *Gen. 20 v. 12.* *Alias autem, & ve-
rè soror est Filia Patris mei, & non fi-
lia Matris meæ. Quis sensus hujus Scri-
pturæ?* *R.* *Ex Hebræorum traditione
refert S. Hieron. Saaram sororem fuisse
Abra-*

Abrahæ eodem patre scilicet Tare genitam, non tamen eadem Matre. Tunc verò prohibitum fuisse Matrimonium fratribus, cum sororibus duntaxat uterinis.

Quanta erga Abrahamum Virum suum Saara obsequendi voluntate fuerit, quanto maritali amore! ut eum a morte tutaretur incurrena! Utinam & modernarum erga Maritos, uxorum, simile amoris vinculum, & obsequendi voluntas intercederet! *Uxori non licet dicere: facio quod volo de meo; cum & ipsa non sit sua, sed capit is sui* inquit August. O conjunctio sine foribus facta, ubi Maritus sermo est, & Uxor auricula Fulg.

Gen. 20. v. 16. Ecce mille argenteos 35.

dedi Fratri tuo, hoc erit tibi in velamen oculorum. Quæritur, ad quid illi mille argentei in velamen oculorum Saaræ?

R. Dati sunt Abrahamo illi mille sicli, sive in pretium, & compensationem injuriæ per raptum illatæ, sive ad comparandum velum, quo Saara faciem obtuberet. Saara enim absque hujusmodi velamine apud Gerraritas incesserat, ne Abrahami coniux videretur. Abimelech prædictos siclos dedit ad velum comparandum, ne cuiquam deinceps non conjugata videretur, nevè in simile periculum

Ium veniret, ex quo singulari DEI protectione evaferat.

Multas hoc saeculo videbis Saaras, quæ habent velamen oculorum, & vocatur: *Marsara*. Videbis & alterius nominis mulieres; quæ sublato velamine quod habent, frontem attollunt, oculos gyrant, genas fucant ad capiendas animas. Mulier debet habere potesta em (id est velum) supra caput propter Angelos. *i. Cor. 11. v, 10,*

36. *Gen. 21. v. 9.* Cumque vidisset Saara filium Agar---ludentem cum Isaac filio suo. Quis quæso, & qualis lusus ille fuit Ismaëlis cum Isaac? *v.* Lendum illum non fuisse mere puerilem, sed periculosum, nam, ut inquit *Raulinus*, Ismaël formabat simulacra ex luto, & faciebat, ut Isaac adoraret imagines luteas. Quod videns Saara rogavit Abrahamum virum suum dicens: *Ejice Ancilam hanc, & filium eius.* Cogitabat nāmque Saara periculum esse, ne annis labentibus amantissimum filiolum suum Isaac, aliquando idololatrantem, aut lascivientem experiatur ex consortio, & instructione Ismaëlis.

Quid ad hoc modernæ Matres? Magnum DEI beneficium est, Parentes habere probos, & sanctos: à Parentibus educatio præcipue

cipuè pendet, quæ si bona est, ingens momentum affert ad salutem. Talium enim Parentum liberi, innocentiam facile conservant, aut si suá, aliorúmque culpâ degenerent, recordatione Parentum, eorúmque castis pre-cibus ad frugem redeunt.

*Gen. 22. v. 7. Ecce ignis, & ligna, 37.
ubi est victima holocausti? Quid est quod Isaac non plures Patri quæstiones movit?
v. Quia ut audivit à Patre suo hæc verba dici: **D E U S** providebit sibi victimam filii mì. Ut D E I verbum audivit inquit Chrysost. Hom. 4. in cap. 1. ad Corin. 2. Nullum ultrà verbum addidit.*

Hinc Servorum D E I mos proprius est, qui illi famulari, & per omnia placere student, ut cum sciunt ab illo aliquid fieri, ordinari, constitui, non obloquantur, non repugnant, non interrogent; sed inclinent cervicem, demittant humeros, accommodent que se voluntati talis Domini, qui tam sapienter novit omnia disponere, ut ea ad majus bonum nostrum, & utilitatem cedant. An tu talis sis, novit D E U S, & conscientia tua.

*Gen. 22. v. 9. Cumque alligasset Isa- 38.
ac filium suum, posuit eum in altare, su-
per struem lignorum. Quærerit curiosus,
quare ipsum ligaverit? v. Ligat Pa-
ter filium, inquit Cardinalis Cajetanus;*

*ne voluntarii motus, utpote naturales in
actu jugulationis existentes, ordinatum,
compositumque situm turbarent in nonnullam
sacrificii indecentiam.* Putabat Abraham pro indecentia, si huic Sacrificio,
vel minimus motus, quamquam naturalis,
& involuntarius intervenisset, & sic
non fuisset ita compositus, prout requiebat DEI præsentia.

Quot tu motus, dum Missa celebratur voluntarios facis? modo confabularis, modorides, modo lascivè circumspicis &c. & non consideras hæc omnia ad insignem veri DEI sacramentalis injuriam cedere.

39. Sed cur DEUS Abraham iter tam longum adoriri, & victimæ mactationem per triduum offerri voluit? fortè majoris obedientiæ actus fuisset, si sine mora Filiolum suum sacrificasset? ¶ Quia, ut inquit *Alcuinus* id factum est, quatenus longitudine temporis, temptationis etiam incrementum augeretur; nam per triduum, iter protenditur, & per totum triduum paterna viscera cruciantur.

Sunt plurimi, qui quandiu agunt prosperè, se ad offendam DEI immobiles ostendunt; at leviter percussi despondent animos, & se tantoperè contristari finunt, ut nullò habitò offen-

offensa Divinæ respectu ad blasphemias, & sceleras, nescio, quæ prorumpunt. Blasphemus es? considera! quòd tantus sit horror blasphemiarum divini Nominis, quòd in sacra Scriptura frequenter exponitur per verbum oppositum, scilicet benedictionis; ut illud uxoris Job: *Benedic D E O*, & morere id est: male-dic D E O. Et illud: *Ne forte peccaverint filii mei, & benixerint Domino in cordibus suis.* Job. I. id est: maledixerint.

Gen. 23. v. 3. Cumque surrexisset ab 40. officio funeris. Quod illud funeris officium? *v.* Per hoc insinuatur, inquit Cajetanus, quòd Abraham exercuit officium Luctus, in loco superiori jacens ad faciem cadaveris, tanquam continuè spectans faciem uxoris. Sed quare spectabat faciem uxoris? Ratio est, ut ad ploratum se se excitaret, ipsumque cor cum lacrymis per oculos verteret, quod illos selectissimæ uxoris decoros, & paùlo antè radiantes, mors atra obscuravit, & faciem venustissimam pallore depinxit.

O quantum utilitatis nobis adferret, si Christi defuncti, & pro nostris peccatis expiandis, è Cruce pendentis, imaginem ob oculos positam haberemus! si studiòsè cogitaremus Dominum, qui ibi patitur innocentissimum, tam probrofa morte sublatum, & hoc

ob nostra enormia scelera, procul dubio amissimè noxarum nostrarum gravitatem deploremus. Talium sanctorum rerum recordatio, excitat desiderium virtutis, & quasi impactis calcaribus, impellit ad studium perfectionis.

41. *Gen. 23. v. 11. Agrum trado tibi, & speluncam, quæ in eo est --- sepeli mortuum tuum.* Dicebat Ephron ad Abraham, cui gratis promisit, cum tamen *v. 16.* sic legatur: *Abraham appendit pecuniam, quam Ephron postulaverat quadringentos siclos argenti.* Quid est, quod Ephron ab initio tam generosæ liberalitatis fuerit, & postea tantam vim argenti acceperit? *v.* Quod Ephron agrum gratuitò obtulit, id non vera animi largitas, sed techna fuit, & simulata urbanitas, quā obligaret Abrahamum, ut plures pecunias numeraret, & ut dicit Hugo: *Id dicebat Ephron, ut magis posset extorquere.*

Sic hodie faciunt multi Advocati, & Procuratores causarum, qui ut plus pecuniæ à litigantibus eliciant, mercedem laboris sui illorum arbitrio relinquunt, faciuntque ex urbanitate quæstum, sicque miseros clientes obstringunt, ut amplius pendant, quām jura exigant. *Nemo habet injustum lucrum sine justo danno, ubi lucrum, ibi & damnum; lucrum in arca, damnum in conscientia,* ut habet August. serm. 215. de Tempore.

Gen. 24. v. 9. Posuit servus manum 42.
sub femore Abraham Domini sui, & ju-
ravit illi. Quæ causa ritus jurandi, ma-
nus fœmori supposita? ¶ Abrahamum
mandasse servo suo (Eliezeri) ut manum
super fœmur poneret; quod idem erat,
ac jurare per Messiam, qui erat ex illo
nasciturus. Idem sentit Aug. Tract. 43.
in Joan. dicens: Quæ fuit illa juratio, ni-
si quia significabatur de genere Abrahæ
venturum in carne DEUM Cœli.

Quanta putas devotione hunc Abrahæ
servum ab illo jussum, jurasse? at nunc, quam
multi levissimè, & impudentissimè, adjurandū,
& pejerandum profiliunt, cum insigni
divinissimi Nominis DEI contemptu. Minus
malum est, inquit August. Epist. 154. ad Pu-
blicol: Per DEUM falsum jurare veraciter,
quam per per DEUM verum jurare fallaciter;
quanto enim, per quod juratur, magis est Sanctum:
tantò magis est pœnale perjurium.

Gen. 24. v. 16. Erat autem puella de- 43.
cora nimis, virgóque pulcherrima inco-
gnita viro. Si virgo, quomodo non in-
cognita viro? at quid additur ly incogni-
ta. ¶ Quia multæ sunt puellæ, & vir-
gines, quæ mundi opinione sunt tales;
sed norunt ipsæ, quod sua virginitas ma-

gis artis, quām naturæ est filia. Sic ergo dicendum, quod Rebecca non solum vulgi existimatione erat integra, sed etiam viro intacta.

Multi sunt; qui mundi opinione sunt vitæ sanctæ homines, sed nōrunt ipsi, quod sua sanctitas artis est potius, quam gratiæ divinæ filia. Ita sæpè contingit, ut non invenias virginem, quæ verè virgo sit, & quæ sub specioso virginitatis pallio non abscondat nequitiam tanto liberius, quo magis extra suspicionem. Sæpe scelus, Cælum, Zeli velamine texit.

44. Gen. 24. ¶ 62. *Eo tempore deambulabat per viam--- & egressus fuerat ad meditandum.* Cur Isaac tempore illò, quō sciebat nuptiarum suarum causam alibi tractari, ad meditandum fuerit egressus? quid meditatus est? ¶ Isaac egressus est ad meditandum, id est (ut transfert Paraphrastes Chaldæus) ad orandum; sed cur oravit? Causa est; quia Isaac erat in eo, ut proximè conjugium iniret. Noverat optimè inexplicabilem esse nexum, quo se uxori adstringebat, simul gravissimum humeris suis onus imponeret, quod decutere, aut abjicere nunquam posset; hinc oratione se ad hanc rem præparabat. Contulit verò se in solitarium

locum, ut tota mentis contentione Creatori suo vacare posset, ne si in publico esset, cogitatus aliò ipsum abstraheret.

Intendamus, & nos meditationi, quantum officii, ac instituti ratio postulat, scientes nos parum in spiritu profecturos, nisi res divinas meditemur. Hoc quotidie meditare, ut possis æquò animō vitam relinquere, & in sancta D E I gratia concludere. Meditatio, virtutis principium.

*Gen. 25. ¶ 5. 6. Dedit cuncta, quæ 45.
possederat Isaac, filiis autem concubinarum
largitus est munera, & separavit eos ab
Isaac --- dum adhuc ipse viveret. Quare
Abraham solus ipse bona inter filios di-
stribuit, & per Testamentarios distribui
non concessit? ¶ Hoc fecit, dum ad-
huc ipse viveret, qnia si opes suas ali-
cui Testamentario commendasset, ut ille
filiis traderet, fortè factum fuisset, quod
à multis fieri solet, qui ut hæredibus o-
mnem litigandi occasionem succidant, to-
tam sibi usurpant hæreditatem, ex quo
fit, ut vivi spolientur hæreditate, de-
functi fraudentur suffragiis Eleemosyna-
rum, & bonorum operum, quæ mortu-
us fieri jussérat. Noluit ergo Abraham id
concedere manibus alienis, quod poterat*

facere propriis. Quia in rebus, pietatis causa distribuendis, unicuique non aliena, sed sua utendum manu, inquit *Polybius*. Noli tamen credere omnes Testamentarios esse tales, quia sunt multi admodum pii, ac probi, quibus ejusmodi negotia tutò credi possunt.

46. *Gen. 25. v. 27. Jacob autem vir simplex habitabat in tabernaculis. Quæ illa tabernacula? ¶ Ex Hebræorum opinione, dicunt: Abulensis, Lyranus, Pererius, Isteilla, & alii, quod Jacob frequentaverit scholas (quas vulgata nostra versio vocat tabernacula) Heber, & Melchisedech, qui ut tam S. Magistri, & Prophetæ, ad res divinas, & cœlestes erudiebant suos discipulos, docebantque modum, quò timendus, & amandus sit supremus omnium Conditor, & Benefactor DEUS optimus. Et volunt Hebræi, quod Jacob habitaverit annis quatuordecim in tabernaculo Heber, ut per id tempus D E O serviendi artem perdisceret.*

Quot scholas pietatis Christus ipse per se, & Ecclesiam instituit, ut artem amandi, & timendi DEUM disceres, & nescio an in illis quoties Magistrum pietatis per annum audias; pro fabulis autem utramque aurem vendis.

39

dis. Et ubi est Concio? Villam emi, necesse
habeo exire, & videre illam. Quām hoc stultum,
priūs emere, & tum primō videre quid eme-
ris! Hoc inde sit, quia resolutiones capimus
cœcē, & tum post factum sæpè pœnitet actum.

Gen. 25. v. 31, *Vende mihi primoge-* 47.
nita tua. Quæritur, quomodo Jacob sub
pacto venditionis primogenituræ, suum
Fratri suo Esau pulmentum offerre potu-
it? Ratio dubitandi est, nam primogeni-
ta, quæ emere cupiebat, habebant ma-
gnūm pretium, erāntque magnificis pri-
vilegiis conjuncta. ¶ *Hanc in rem Do-*
ctor Angelicus in cap. 25. Gen. sic dicit:
Potest dici quod Jacob à principio, non
seriò, sed quasi jocō, vel modō tentativō
dixerit: Vende mihi primogenita; sic ta-
men, quòd occultò DEI instinctu ad hoc
dicendum fuerit impulsus.

Ecce ex rebus levibus, quòd eas negliga-
mus, & contemnamus, ex jocis, & ludis,
quòd eos non curamus, qualia grandia sub-
inde mala, & calamitates immedicabiles ori-
ri solent. Breve tempus est hora, sed dum ho-
ra horæ continua successione conjungitur, totius vi-
tæ nostræ cursus impletur. Inquit S. Petrus Da-
mianus ser. 73. Tantundem in levibus culpis
accidit, ait ille.

Gen. 25. v. 32. *En morior. Unde E-* 48.
sau viro venandi gnaro tam acerba fames

accidit, ut se ex illa moriturum existimat, nisi Jacob, illi lentis edulio mox subveniret? quid est, quod se tam citò inter mortuos numerat, dicens: *En morior.*
 ¶ Causa est, quia cum Esau cupediis, perdicum, turdorum, leporum, lectiorum, ac deliciorum ciborum comedioni asuerit, non didicerat famem ferre, quam cum necessitas semel pati coegisset, actum de vita statim putabat, clamans: *En morior,* & sepulchrum sibi parari iudicavit.

Sic hodie videbis multos, qui in deliciis à juventute nutriti, asueverunt molliter cubare, splendidè epulari, cuticulam delicate curare, indulgere genio, servire abdomini, confessari voluptates, ducere in bonis dies suos. Hi in tantilla qualiscunque calamitatis aqua fluctuant, & in omni Vado quantumvis levis laboris naufragium faciunt, & timidam ignavi Esau vocem clamant: *En morior.*

49. *Gen. 27. v. 40. Major serviet minori.* Quonodo hoc veri locum habet, cum nusquam inveniatnr, quod Esau serviverit fratri suo Jacob? quinimò hunc ille ad mortem insectatus fuerit ¶ Esau servivit fratri suo Jacob, quem pessimis modis affixit; mali namque dum infectantur bonos, profectui illorum spirituali plu-

plurimum conferunt, & bene merendi illis occasionem ministrant. Lege S. Aug. Ser. 78. qui sic habet: *Quomodo major serviet minori? quō ordine? illō utique quō mali serviunt bonis, non utique obsequendo, sed persequendo: quomodo limæ, & mallei auro: quomodo molæ serviunt tritico ---quomodo in fornace aurificis palea servit auro, ubi palea comburitur, aurum probatur.*

DEI providentissimi ordinatione factum est, ut per adversitatum mundanarum tribulos non minus, quam per fortunæ arridentis flores, homo ad ultimum finem suum provehatur, juxta illud Aug. *Miscentur amaritudines vitæ temporali, ut æterna desiderentur.*

Gen. 27. v. 41. *Dixitque (Esau) 50.*
in corde suo: veniet dies luctus Patris mei & occidam Jacob fratrem meum. Postea subjungit scriptura v. 42. *Nunciata sunt hæc Rebeccæ.* Quærit Aug. quomodo nunciata sunt Rebeccæ verba Esau, quibus comminatus est occidere fratrem suum, cum scriptura dicat, hoc eum in sua cogitatione dixisse? v. Quia ut inquit Rupertus Esau odium oris habitu indicabat. Nunciata sunt Matri à tumenibus labiis, à concrepantibus dentibus,

à pallore vultūs, ab oculorum flammis, intentionem, occidendi fratrem habere.

Quidquid hnmilitati adversatur, in ira occurrit, vox aspera, oculi obtutus minax, oris habitus, ac gestus fastidiosus. Quod si externa species adeo nequam est, quid de interiori parte dicendum? In tempestate illa, quam in animo ira commovet, aptissimus est iratus ad prævaricandam omnem fere Legem divinam; ad blasphemandum DEUM, ad occidendum proximum, ad testandum falsum, ad rapiendum alienum.

51. Gen. 29. ¶ 24. Ad quam, cùm ex more Jacob fuisset ingressus, factō manē vidit Liam. Quæritur, quomodo Laban decipere potuit generum suum, ut in eius lectum Liam locò Rachelis introduceret, cùm Jacob non Liam, sed Rachellem Matrimonio sibi junxerat? ¶ Facile Laban potuit decipere Jacob generum; quia mos olim vigebat, ut virgines, dum nubebant, in tenebris verecundiae causâ mariti thalamum adirent. Sed nunquid Jacob ex voce observare poterat, quòd Lia sit, & non Rachel? ¶ Non potuit, quia ex verecundia nihil loqui, solitum fuit.

Quòd Laban dolosus fecit in generum suum loco Rachelis pulcherrimæ Puellæ in Matrimonium Jacob promissæ, intrudens Liam

lippam: Hoc tu facis cum D E O in sacra Confessione, qui conventionem inis cum illo de danda illi sponsa, dico: Anima tua, a vitiis expurgata, & gratiis ornata; & postea intrudis Liam, dico, Animam tuam turpitudine, & lippitudine peccatorum plenam. *Malach. 1. v. 14.*

Gen. 30. v. 1. *Da mihi liberos, alio-* 52. *quin moriar.* An per liberos vixerit, si-
nè quibus se morituram putavit? *v.* Pe-
perit Josephum, & non contenta illo,
petiit alterum filium, quem parturiens,
egrediente anima præ dolore, & immi-
nente jam morte, vocavit nomen filii sui
Benoni, id est, filius doloris mei. *Gen.*
35. v. 18. Filium doloris sui vocat, Pa-
trem etiam suæ mortis vocare poterat.
Nonne Rachel ea est, cui mortem pa-
rit filius, quem ipsa parit? Rachel est.
Nonne illa est, quæ tantopere demorie-
batur hæredes? Ipsissima est: quid ergo
est, quòd filius illi mortem adfert, & ex-
nato hærede Mater denascitur? *v.* Illud,
ut videamus, quām verum sit, & quām fre-
quenter eveniat, ut ex illo moriantur ho-
mines, cuius desiderium, & expectatio
vix illos vivere sinebat. Hinc meritò di-
cit

cit Honcala in cap. 35. Gen. Tanta est humana ignorantia atque temeritas, ut ea interdum à DEO assidua improbitate flagitemus, quæ postulantibus concessa, sint maxime nocitura. Omnium ergo desideriorum nostrorum moderatorem DEUM constituamus, ut ille tanquam Pater, & Dominus, quidquid illi magis gratum, nobis autem supplicantibus conducibilis fuerit, concedat, voluntatique ejus in omnibus nos accommodemus.

53. Gen. 30. ¶. 15. *Dormiat tecum hac nocte pro Mandragoris filii tui.* Quæ qualitas illius herbæ (herbam aliqui dicunt, alii sylvestrem fructum) fuit, quā tanto pere rapta Rachel fuit, ut sui in illa cupiditatem excitaverit? ¶ Ex S. Cypriano lib. de Operibus Cardinal. in Prologo, qui ait: Rachel ad odorem, non ad esum, Liæ mandragoras concupiscit. Id ipsum affirmat S. Thomas in cap. 30. Gen. dicens: *Unde videtur, quod curiositate fœminea, voluerit illa poma, quamvis enim non sint apta esui, sunt tamen pulchra, & odorifera.*

Quoties tu Beatitudinis æternæ jacturam facis pro turpi, & vili voluptatula? pro flosculo unico corporeæ oblectationis, tam fugacis,

cis, tam brevis, ut momentō eōdem, & na-
scatur, & extinguitur? Modicum interval-
lum inter oblectamenta unius momenti, &
lacrymas æternitatis.

Gen. 31. v. 7. Sed, & Pater vester 54.
*circumvenit me, & mutavit mercedem
 meam decem vicibus. Quomodo quæso,
 & quando tot vicibus Laban mutavit mer-
 cedem genero suo Jacob? ¶ Nil mirum,
 quia Jacob viginti Annis servivit La-
 ban, quatuordecim annis pro utraque u-
 xore, & sex annis pro gregibus, &
 ovibus; bis autem per annum pariebant
 oves, & qualibet vice ex pacto, per sin-
 gularem DEI providentiam, Jacob dita-
 batur. Hoc videns Laban, qualibet vi-
 ce rescindebat, & mutabat pactum; un-
 de anno sextō pertæsus hujus mutationis,
 Jacob aufugit.*

Quoties tu in Sacramentali confessione cum
 DEO, de illo non amplius offendendo, & te
 emendando, pactum inis, & non servas, sed
 millenis, & amplius vicibus rescindis, & mu-
 tas! Sic & divites cum pauperibus agunt, ut
 neque pacta, neque promissa sæpè iervent,
 nisi quantum in rem ipiorum sint.

*Gen. 33. v. 10. Vidi faciem tuam, 55.
 quasi vultum DEI. Quomodo quasi vul-
 tum*

tum DEI? ¶ Quia cum Jacob dulci complexu, & benevolentissime ab Esau exceptus est, Angelus videbatur, qui ante, cum timebatur ferox Leo aestimatus fuit.

Quām hoc usitatum mundo! cūm quis nobis commodus, quam elegans nobis videtur, quam pulchra est facie! at si minus, quam deformis, & horribilis! Donec Prælatus observit voluntati, & voluptati subditorum, quando loquitur blandè, & facit quodcumque illi volunt, nec terra hominem illi similem, nec parem Angelum cœli habent. Verūm, si reprehendat, si malefacta castiget, si duriuscule agat, si frontem in rugam morosius contrahat, mox dæmon videtur, & persecutor censetur, quamquam vitæ sit integerrimæ; tyrrannus etiam audire debet, quamquam Pater sit.

56. Gen. 35. v. 19. *Mortua est Rachel,*
& sepulta est in via. Quæritur quid mysterii habeat, quòd in via sepulta sit? ¶ Ut sepulchrum illud Rachelis omnium facile venustissimæ efficacissimum præberet exemplum instituendo homini ad omnem vitæ probitatem, & adversus quascunque mundi hujus fraudes, & fallacias detegendas. Rachel ergo in sepulchro condita, è suo tumulo tanquam ex Cathedra, viatoribus lectiones tradebat, ut animadver-

adverterent, cujuscunque opinione felicitatis, pulcritudinis, elegantiæ, & formæ &c. non alium esse finem, quam ut septem pedum humo obruta, esca vermium fiant. Hoc fine, mundi pompa clauditur.

Non est universitas aliqua, aut gymnasium, in quo eruditionem sibi quispiam citius comparet, quam ex intuitu sepulchri, qui mortuus est. *Nil sic ad edendum desideriorum carnalium appetitum valet, quam ut unusquisque hoc, quod vivum diligit, mortuum penset.* S. Greg. lib. Mor. 16. cap. ult.

Gen. 37. ¶ 2. Accusavitque Fratres suos crimen pessimo. Multi querunt, quale illud in specie crimen pessimum, cuius Joseph fratres suos accusavit? ¶ Aliqui censent crimen illud fuisse bestialitatis, quasi cum ovibus, & capris congreßum habuissent. Alii negant, & dicunt, non esse verosimile illos tanquam capita Tribuum in tam nefandum scelus prolapsos fuisse, quibus in recenti memoria erat, Sodomam, & Gomorram ob varia carnis vitia in cinerem redactas. Superior sententia est, Fratres Joseph assiduis rixis diem inter se consumpsisse, & hoc sensit Joseph crimen pessimum.

Uti-

Utinam inimiciiarum, & rixarum rationem nunc benè expenderent mortales! quibus ex perturbata humorum temperie artus universi corporis tremunt, & ex iracundia, quā in alios feruntur, oculi caligant, neque enī tales cum initi Stephano cœlos apertos intueri poterunt, ut Filium DEI in sui patrocinium inclinent.

58. Gen. 37. v. 9. *Vidi somnium quasi Solēm, & Lunam, & stellas undecim adorare me.* Per Solem intelligitur Jacob, per Lunam Rachel, per Stellas Fratres Joseph. Nunc quæritur, quomodo hoc verum est de Rachel? nam illa fuerat mortua ante venditionem Joseph: illa nunquam adoravit Filium suum Joseph; sicut eum adoravit Pater, & Fratres in Aegypto? v. Uxorem censeri cum Marito unam personam civiliter: Marito ergo adorante, censeri quoque uxorem adorare, ita Chrysost. Adde quod Rachel substituerat sibi Balam, quæ adoravit Josephum, & Josepho erat instar Matris.

Timendum, ne, cūm Maritus, & Uxor sint una Persona civiliter, se in omnibus unam faciant, ut si Maritus Sacrum audiat, eo ipso, uxor, se, quanquam domi pigritet, audiire existimet; & è contra si in omnibus sunt una persona, iufficiet, si maritus comedat, & uxor aspiciat, vel vicissim.

Gen.

Gen. 35. v. 7. Fuit quoque Her primogenitus Iudæ nequam in conspectu Domini. Quare vocatur, nequam in conspectu Domini? ¶ Quia Her habuit uxorem nomine Thamar, cum qua Matrimonium consumare noluit, timens, ne si conciperet, & pareret, ex partu, uxorius pulchritudo, turpitudine fcedaretur. Hinc ab usu conjugii se retraxit, semen suum alibi dispergens, & ob hoc occisus est à Domino, En! quo medio divinæ Majestatis offensivo Her querat temporale bonum suæ uxorius: & interim immemor sui, se in Manus DEI vindicis conjicit, vitam, tum corporis, tum animæ æternum perditurus.

Si mendax, si multos hoc saeculo non invenies, qui dum pro aliis illicite zelant, sui oblii, se ipsos perdunt, tum in bonis, tum in corpore, sœpe, & in anima. Hinc Aug. sic monebat: *vide quales amicos habes, pro quibus animam perdis, pro quibus DEUM offendis.* O si vitam haberemus, qualis erat S. Ambrosii, de quo Theodosius Imperator dicebat: Novi ego constantiam Ambrosii, quod nullo Regiae Majestatis terrore DEI legem transgredietur.

Gen. 39. v. 12. Uxor Putipharis sollicitavit castissimum Joseph ad peccatum

carnis. Quæritur, quam occasionem nata est illa Josephum ad scelus secum perpetrandum solicitandi, & inducendi? ubi tunc erat Putiphar? ¶ Josephum historicum sic tradere: *Publico Festo instanti, cuius festivitatem fæminas quoque frequentare mos erat, finxit morbum ante Maritum, & domi sola mansit: ægritudinem simulavit, ut ne domo exiret ostendandi, & omnium oculis se se exponendi, occasionem alioquin expetitiissimam volens &c.*

Mirare fortitudinem Joseph, quâ blandias, & furias insanæ Mulieris constanter repulit, & carceres, & mortem subire maluit, quam DEUM, vel Herum suum offendere. Res mira! Domina peccat, & servus innocens in carcerem mittitur: servus peccat, & Christus in cruce suspenditur. Perdamus omnia, quid refert, modo servemus leges cœli: pereamus potius, quid interest, dummodo stet DEI præceptum illæsum.

61. Gen. 40. ¶ 1. Accidit, ut peccarent duo Eunuchi, pincerna Regis Ægypti, & pistor Domino suo. Quod quæso fuit illorum peccatum? ¶ Ex Lyrano, pincernæ peccatum fuisse, quod vinum aqua miscuerit, illudque Regi potandum

porrexit. Pistoris peccatum fuit, quod
in pane inventus sit lapillus, qui, dum
Rex comederet, dentes illius offendit.

Quantum gratitudinis pincerna hic Domi-
suo Regi referre debebat, qui sociò in cru-
cem acto, gratiam vitæ consecutus est! quan-
tam tu DEO Domino, Regi Regum tene-
ris, qui millenis aliis ex justitia perditis, te
per misericordiam, ne perires, sed Pœni-
tentiam ageres, reservavit.

*Gen. 41. v. 45. Vertit nomen ejus, & 62.
vocavit illum --- Salvatorem mundi. Cur
mundi, non verò solius Aegypti, quam
à morte per famem illi incurrenda, sal-
vavit, Salvatorem vocavit? Ex. Pharaon
vocavit Josephum Salvatorem mundi, i-
psi enim videbatur totum mundum sal-
vasse, dum Regnum illius salvavit. Nam
si totus mundus reliquus salvatus fuisset,
& solum Regnum illius interiisset, hoc
ipsi tale fuisset, quale, si Regna omnia
mundi periissent: sua enim quisque bo-
na, vel mala ita sentit, ac si totius mun-
di bona, sive mala essent.*

Tu tibi singularis quidam mundus es, vi-
de! quod si ipse ad infernum pereas, hoc
tam acerbè deplorabis, ac si totus mundus
damnationem incurrisset.

63. Gen. 42. v. 37. *Duos filios meos interfice, si non reduxero illum tibi.* Quæstio est, an Ruben sincero ex animo duos filios, Patri obtulerit interficiendos, si Beniaminum non reduxerit? *¶* Astum, & merum dolum fuisse: quidquid cum Patre Ruben egit, inquit Oleaster in annotat. Morali, sic enim habet: *Erga Simeonem pietatis viscera ostendit, sed callide cum Patre agere vult, objicit filios à Patre interficiendos, quia noverat, sene nem nepotes suos non interfectorum.*

Sic etiam hodie fit, quod homines plerumque officia exhibenda pollicentur, & magnam urbanitatem simulant, quando prævident exequendi officia, quæ spondent, nullam aliquando fore occasionem.

64. Gen. 46. v. 33. & 34. *Cumque vocaverit vos, & dixerit: quod est opus vestrum? respondebitis: viri pastores sumus, servi tui ab infantia nostra.* Quæritur, quare Joseph hoc dicere suasit Fratribus suis coram Pharaone? *¶* Quia Joseph optabat Fratres suos habitare simul, & esse contubernales, jam verò si se Pastores fuisse ab infantia, & esse usque in præsens, non dixissent, timendum

dum erat, inquit Abulensis, *Ne Rex illos faceret bellatores, & disjungeret.* Sciendo itaque ipsos totâ vitâ officium hoc pastoritum tenuisse, judicavit illos inhabiles ad aliquid aliud.

Si omnem ætatem superiorem, in dissidiis, contentionibus, & offensa divinæ Majestatis exegisti, quomodo aptus eris, ut fine quieto, & tranquillô tuam vitam concludas? Qualis vita, mors est ita. Bene moritur, qui dum moritur, lucrum facit ait *Seneca* epistola 114.

*Gen. 46. v. 34. Detestantur Ægypti 65.
ptii omnes Pastores ovium. Quæ causa
hujus detestationis? Quia Pastores so-
lent occidere, & comedere carnes ovi-
um, & pecudum, quas Ægyptii pro
Diis colebant, ut patet Exod. 8. v. 26.
alebant tamen Ægyptii oves, & boves
non ad esum, sed ad lanam, & lac, vel
ad stercoreationem agrorum: vel ut eas
divenderent aliis nationibus. Sicut Ju-
dæis non licebat manducare carnem por-
cinam, servabant tamen porcos in alium
finem.*

*Episcopi sunt Pastores ovium spiritualium,
qui oves suas non deglubunt, sed lacte spi-
rituali nutriunt, & ad Sanctitatem vitæ in-*

formant. Neque tamen desunt *Ægyptii*, qui eos detestantur, omniaque acta, & facta eorum, ut ut optima, subinde criminantur: Utinam ex illis essent, de quibus S. Ignatius Mart. Epist. II. Tom. 3. Bibl. VV. PP. dicit: Meam animam, cum animabus eorum, qui *Episcopo parent*, lubens commutavero, faxit *DEUS*, ut cum illis mihi portio contingat à *DEO*.

66. *Exodi. I. v. 9. Ecce populus filiorum Israël multus, & fortior nobis est.* Quæritur, unde arbitrari potuit Pharao populum Hebræorum fortiorem *Ægyptiis*, & valentiorem futurum, cùm nunquam armis concurrissent? *v.* Quia secundum *Abulensem* Pharao ex eo conjecturare cœpit Hebræos fortiores futuros, quòd *Ægyptii* Veneris potius, quam Martis castra sequerentur: Hebræi autem continentiores per id tempus essent; quia ergò Venus, militum vires plurimum extenuat, facile potuit Pharao divinare, castos Hebræos viribus prævalituros.

Citò exuritur flos pudicitiæ, si oculus se vertit à cœlo, & manus non sublevantur ad Astra. *More pecorum vivit, ac moritur, qui ratione, ac Lege DEI contempta, illcitas seculatur libidines.* Si vivere, ut pecus non times, saltem ut pecus mori, time. inquit Aug.

*Exod. 2. v. 7. Vis, ut vadam, & 67.
vocem tibi Mulierem Hebræam? vade.
Nonne plures fuere Nutrices Ægyptiæ,
quarum uberibus lactari potuisset Moy-
ses? Cur ex iis, aliquam vocari non
præcepit filia Pharaonis? ¶ Plurium
Mulierum Ægyptiarum mamillas Moy-
si infantulo fecit porrigi filia Pharaonis,
sed infans fugere noluit, & tunc Soror
pueri Maria, quæ adstabat, dixit, quòd
si mulier hebræa mamillam porrigeret,
forsitan acciperet, tanquam de muliere
hebræa natus: Cui dicto tanquam ratio-
nabili assensit Filia Reginæ, & ita factum
est. Petrus Comistor cap. 5. docet: quòd
cùm Moyses esset trium annorum, Pha-
rao Rex admirans pueri venustatem, co-
ronam, quam fortè tunc gestabat, capi-
ti Moysis imposuit; erat autem in ea Ha-
monis imago fabrefacta: Puer autem co-
ronam projectit in terram, & fregit.*

Res modo aliter vadit, quia honori aper-
to capite rem divinam faciunt, inquit Plu-
tarctus Prob. 10. Nam dignitates obviis,
avidéque protensis manibus acceptantur. Ac-
ceptatio est generis communis. Dignitatibus
homines dandi, non hominibus, dignitates.
inquit Sylvius.

68. Exod. 2. v. 9. *Accipe puerum istum,*
& nutri mibi, ego dabo tibi mercedem tu-
am. An Mulier illa potuit accipere mer-
cedem à Filia (Thermutis vocabatur) Pharaonis? ratio dubitationis est, quia illa Mulier verè erat Mater Moysis, ut ut ignorata à Filia Pharaonis: jam verò summa iniquitas est, accipere lucrum, & pecuniam pro eo, quod quisque ex iustitia debet; atqui Mater debet ex iustitia alere filium, ergo &c. *v.* Quod in aliis similibus damnari debet, inquit Oleaster in Annot. Morali in Matre Moysis justam habet excusationem, & absque peccato mercedem accipere potuit, & periculum mortis, si Matrem, quod erat, se prodidisset, illam excusavit.

Quanta tua malitia, & grave scelus, qui subinde accipis pecuniam pro eo, quod gratis dare, & jure naturæ, atque ex officii tui obligatione facere teneris, nisi excusari, ut Mater Moysis possis. At nunc commune mulitorum est dicere: *Quod venit ad me non ejtiam foras.* vel: Erogabo in Pauperes. Mirum, si non sit prætextus fabulosæ vulpis, quæ ajebat: Non pro me, sed pro sene matre mea. Præterquam quod de clamoribus, & sudoribus alienis, non sunt accepta D E O beneficia.

Exod. 2. v. 12. Et percussum Aegypti- 69.
 um abscondit in fabulo. Quæritur, an
 Moyses illum occidendo peccaverit? ^{v.}
 Authores in bifariam abire: aliqui da-
 mnam eum peccati, tanquam, qui inor-
 dinatō zelo laboravit, & qui nimis la-
 xas permiserit iræ habenas, & adducunt
 illum pro se textum: *Cumque circumspe-
 xisset hoc, atque illuc, & nullum adesse
 vidisset, &c.* Ex quibus concludit Ca-
 jetanus, quod hujusmodi circumspectio
 signum sit humanæ cautelæ, & non Di-
 vinæ inspirationis. Verum Abulensis, &
 alii dicunt, interfectionem Aegyptii fu-
 isse opus omnibus circumstantiis merito-
 riæ actionis vestitum, nam dictus Abu-
 lensis Quest. 6. in Cap. 2. Exodi, sic
 habet: *Non est de tanto viro, qui sic
 continuè cum Deo facie ad faciem loque-
 batur, præsumendum, ut quidquam in-
 justum, aut inordinata passione movisset.*
 Ad illud ubi dicitur; Moysen huc, at-
 que illuc circumspexisse, dico, eum sic
 fecisse, non quod peccatum commiserit,
 sed ne si Aegyptii scirent, vergeret in
 periculum capit is Moysis. Timuit ex-
 justo opere, propter injustos homines;

semper enim periclitantur inter pessimos
optimi. *inquit Lippomanus.*

Eam de servis DEI semper existimationem
habere debes, ut non statim ad condemnau-
da eorum facta, judicium tuum præcipitet;
imò eorum facta, & infecta cum ratione in-
meliorem partem interpretari debes, nisi præ-
sumptio contraria obstet evidens. *Sæpè se
aliter habet species facti, aliter facientis animus,
atque articulus oculti temporis.* *inquit Aug. Lib.
3. Confess. cap. 9.*

70. *Exod. 4. v. 24. Voluit Angelus Domini occidere Moysen. Quare?* *¶* Quia
non circumciderat Filium suum Eliezer
debito tempore, & ideo Sephora uxor
ejus, ut Angeli iracundiam placaret, ar-
reptō confessim acutissimō lapide filium
suum circumcidit. Sed quomodo Moy-
ses permisit uxorī suæ gentili, cæremo-
niarum parùm peritæ, hoc facere? *¶*
Quia Moyses videns strictam Angeli
machæram, ità cohorruit, & omnibus
artubus obriguit, ut animi impos, & cir-
cumcidendo puero impar fuerit, & ideo
opem uxoris implorare debuit, *ità Abu-*
lensit.

Hinc colliges magnò dignos esse suppliciō
eos qui à D E O missi sunt, & quorum ex
officio interest ire ad erudiendos homines, &
libera-

liberandos à peccatorum tenebris, atque diabolis servitute, si tanti muneris incurii, & negligentes sint. Non satis est, Prælatos, Superiores, & Parochos bonos esse, & innocentes, nisi etiam sedulò curent, ut omnes ipsorum domestici, & ministri subditi, filii, & filiæ etiam sint boni, & in Præceptis DEI incedentes. Nam ut dicit August. *In eo, quod Christiani sumus, attenditur utilitas nostra;* *in eo, quod Præpositi sumus, non nisi aliena.*

Exod. 7. v. 1. Ecce constitui te DEUM Pharaonis. Quomodo duo Dii? *v.* Moysen non fuisse DEUM essentialiter, sed nuncupativè, *inquit Greg. Hom. 8. in Ezechielem*, & hoc ob participationem eximiæ cujusdam authoritatis, & potestatis alios regendi, judicandi, & plectandi.

Prælati, & Superiores legatione funguntur pro DEO, qui in ipsos suam quodammodo præminentiam transtulit, ut te cervicosum subditum castigent, & perfrictæ frontis obstinationem frangant. Utinam oleum, & operam non in te perdant, ut in Pharaone Moyses perdidit.

Exod. 7. v. 19. Dixit quoque Dominus ad Moysen: dic ad Aaron, tolle virgam tuam, & extende manum tuam super aquas --- ut vertantur in sanguinem.

Quæ-

Quæritur, quare in aliis plagis DEUS manum Moysis pro instrumento adhibuit, & non in hac? ¶ Quia Moyses aquis Ægypti obligatus erat, siquidem in universalis infantium hebræorum submersione, ille solus evaserat, ideo D E U S gratitudinem pro Moyse zelans, vetuit, ne ille, sed Aaron aquas percuteret, earumque naturam immutaret, ita *To-*
status.

O quanta ingratitudo nostrum omnium, qui in flumine pretiosissimi sanguinis J E S U Christi à morte æterna liberati sumus, si ingratos nos exhibeamus sanguini illius; sed proh dolor! homines beneficia pulveri, maleficia marmori inscribunt, & insculpunt, ut hodie in urbibus, Regnis, & Congragationibus experimur.

73. *Exod. 7. v. 21, Versa est aqua in sanguinem --- & fuit sanguis in tota terra Ægypti.* Quæritur, quid biberint Hebræi tempore illo, quo omnes aquæ in sanguinem versæ sunt? ¶ Verum quidem esse, omnes aquas in sanguinem versas, dum tamen Hebræi hausissent, in suam naturam revertebantur, adeò, ut, quod barbaris sanguis erat, & abominationi, Hebræis aqua esset, & voluptati.

Sic in S. communione idem Corpus Christi, & Sanguinem sumunt boni, sumunt mali, forte tamen inæquali, vitæ, vel interitus. Boni fontem aquæ salientis in vitam æternam; mali in damnationem sempiternam:

Exod. 7. v. 22. Feceruntque similiter malefici --- incantationibus suis. Sed unde malefici habuerunt aquam, quam verterent in sanguinem, si omnis aqua in sanguinem versa fuit? *v. Tostatus, & Lyranus* putant, hanc aquam celerrime à dæmone aliunde fuisse asportatam in Ægyptum. Alii dicunt, maleficis illis à Moysè fuisse aquam oblatam, Moysi enim, & Hebræis non sanguis, sed aqua solita, dulcis, & potabilis fuit. Nota: Malefici isti fuerunt *Jannes, & Mambres.*

Velut Jannes, & Mambres cum Moysè, & Aaron decertarunt; ita Hæretici cum Orthodoxis decertant imitando eorum acta, & facta, sed non proficient in sua ficta pietatis specie, & larva, quin eorum falsitas degatur.

Exod. 8. v. 10. Cras Dominum obser- cres. Quare Pharao ranarum plagam in craftinum distulit auferendam? Cur non hodie? cùm tamen maxima urgetur necessitate? *v. Quia cum Rex, ranarum pla-*

plagam videret, dubiusque esset, utrum
arte magica, an verò à manu DEI venis-
set, voluit aliquod temporis spatium in-
tercedere, quò veram illius supplicii ori-
ginem indagare certius posset; quia cre-
debat Rex, quòd si arte magicā essent
adductæ ranæ, maleficium illud per se
deficeret, & ideo hoc aliquantulum ex-
periri voluit, *inquit Lyranus.*

Non est sanum semper consilium, crastinam
diem pro conversione permittere. Si hodie
non es paratus, cras quomodo teris? dies cra-
stina est incerta, quid si hodie moriaris? No-
cuit differre paratis, quot annis differs vitæ
emendationem post tot monita, tot stimulos,
tot exempla, & occasiones? erubescet, & in-
gemisce.

76. *Exod. 8. ¶. 15. Videns Pharaon, quod
data esset requies aggravavit cor suum,
& non audivit eos. Ubi tamen prius di-
xerat: Orate Dominum, ut auferat ra-
nas à me, & dimittam populum.* En! cùm
vidisset superiorem subsidisse tempesta-
tem, conquievisse plagam, extinctam
cum ranis afflictionem, non modò non
explevit promissa, verum & tyrannior
factus est.

Quot Pharaones habet mundus? inquit
Lyranus in hæc verba: Sic faciunt multi, qui
dum

dum in afflictione positi sunt, multa DEO promittunt, sed extra periculum positi retractant. Sic est cum quis ægræ, eaque periculosâ laborat valetudine, quot preces, quot vota, quot pia proposita in suo strato concipit! cum quis in discrimine naufragii, latronum, & sexcentarum adversitatum dubius vitæ versatur, quid non promittit, quid non dicit, ut Dominum DEUM ad ferendam opem advocet, perque illum liber evadat? At postquam convuluit, flumen transmisit, manus prædonum evasit, quam ingratus est suo benefactori DEO Domino, è cuius munifica manu gratiam accepit. Optimè dixit Seneca Epist. 61. *Nihil charius aestimamus, quam beneficium, quamdiu petimus; nihil vilius, cum acceperimus.*

*Exod. 9. ¶, 29. Cùm egressus fuero de 77.
Urbe extendam palmas meas ad Dominum,
& cessabunt tonitrua, & grando non erit.*
Quare Moyses non in media Urbe coram Pharaone, & Aulicis ejus expandit manus, sed ad desertum remittit? ¶ *Ex Joanne Sylveira Lib. 4. cap. 5. num. 218.
in Evangel. Quia hujusmodi preces, ac Religionis cultum, non in hominum tumultu, sed in deserto tanquam commodi-ori loco præstat Moyses, ut ibi magis liber à terrenis perturbationibus DEO vacaret. Unde dicit August. Tract. 17. in Joannem: Difficile est in turba videre Chri-*

*Christum, solitudo quædam necessaria est
menti nostræ. Qui intendit ad interiora,
& spiritualia pervenire, oportet eum cum
JESU à turba declinare, inquit Thomas à
Kempis. Rarò discunt DEUM noscere
proles in sinu Materno, rarò divina, sæ-
piùs nec humana: nam mollis Parentum
amor sæpè talia studia impedit.*

78. Exod. 10. v. 10. Quomodo ego dimit-
tam vos? Ite tantum viri, & sacrificate
Domino. Ibidem v. 11. & v. 24. Sic
habetur: Ite sacrifice Domino, oves
tantum vestræ remaneant, parvuli vestri
eant vobiscum. Cur filiis, & gregibus re-
lictis, tam facilem abeundi facultatem
Pharao concedebat? v. Quia existima-
bat Hebræos sine filiis, vel pecoribus
egressos, paulò post, vel charitate fili-
orum, vel pecuniarum cupiditate, in
Ægyptum reddituros, quod quidem Moy-
ses subodoratus, pactionem non admisit.
*Cum parvulis ait: nostris, & senioribus
pergemus, cum filiis, & filiabus: cum
ovibus, & armentis, non remanebit ex
eis ungula.*

Talem se Diabolus tyrannum exhibit in sua
existentibus servitute, facile eos ex illa abire
permittit, & in Christi transmigrare liberta-
tem,

tem, dummodo illi, vel in se, aliquam propensionem ad malum, vel propè se, aliquam occasionem ad ruinam supereflie patiantur. Partitur diabolus *inquit Ildefonsus de Padilla*: ut qui latrocinia exercet, aliquas preces fundat; qui incontinenter vivit, ut eleemosinam distribuat; qui superbiā tumet, ut abstinentiam colat: ut cum tali moderamine clientes suos deliniat, atque multiplicet.

*Exod. 10. v. 23. Nemo vidit Fratrem 79:
suum, nec movit se de loco --- vocavitque
Pharao Moysen, & Aaron. Quomodo
vocare potuit, si nemo alterum vidit,
nemo se movit de loco? Rx. Vocavit post
discussas tenebras, quas DEUS post
tres dies, nullo (ut alias) deprecante
excusit. Misit autem Pharao vocatum
Moysen, & Aaron, non ad plagam te-
nebrarum depellendam (nulla enim hujus
rei hic mentio;) sed quod novas plagas
infligendas metueret.*

En! Pharao novas plagas infligendas mes-
tuebat, & tu, qui pro peccatis multas fortas-
se sustinuisti, non times novas, & ultimas,
quæ sunt inferni? vel forte putas quasi tan-
tummodo minas sine effectu esse, quod di-
citur de futuro judicio, & æternis suppliciis?

*Exod. 16. v. 3. Utinam mortui esse 80.
mus in Agypto, cum sèdebamus super ol-
E las*

las carnium. Quis vidi super ollas sedentem? cur non sic dicitur: juxta, vel penes ollas? ¶ S. Scriptorem voluisse exprimere summam Judæorum ingluviem, & ita ipsos esse voraces, ut velut pecora herbis, ita illi ollis incumberent, nequid illis de cibo pereat.

Gulæ dediti, nisi ad satietatem, nisi usque ad vomitum comedant, illico detrahunt, illico murmurant. *Si verò non fuerint satiati,* & murmurabunt. Psal. 58. Quid Parentes cum hujus furfuris prolibus: quid Superiores cum sibi subjectis facient? O damnosa symposia Syllæ! pro quibus integræ sylvæ in focos abierunt. Inter animalia magnorum corporum, nulli dedit natura tam parvum os secundum corporis quantitatem, sicut homini; quod factum est ad commendationem temperantiæ, & ad detestationem gulositatis. *inquit S. Bern. in Apol.*

81. *Exod. 16. v. 29. Maneat unusquisque apud semetipsum, nullus egrediatur de loco suo.* Quid difficultius homini, quam per diem integrum è loco non egredi, nec moveri? Cur sic de Sabbatho præcipitur? ¶ Non equidem ita superstitione hoc præceptum observari debuit, ut in quo loco, situ, & habitu reperti sunt die Sabbathi, in eo sic permaneant; sed quod nul-

nullus de domo egrediatur ad labores,
& opera servilia. Alias nec ad synago-
gam divinæ Legis audiendæ causa lici-
tum fuisset egredi.

DEUS est locus noster, in quo vivimus,
movemur, & sumus. Omni ergo die, præci-
puè Dominicis, & Festivis, nullo modo ab
ipso removeri debemus; sed ei non solum co-
gitatione, sed & amore adhaerere. Nihil est,
quod ad ejus amorem tantum te inflammeret,
sicut beneficiorum ejus immensa donatio. Si
te diligis, quomodo ipsum, qui te fecit, non
diligis? Tu, te desiruisti, & destruis, ta-
men te amas, & ipsum, qui te construxit, &
restruxit, & coniervat, non amas?

*Exod. 22. v. 1. Si quis furatus fue- 82.
rit bovem, aut ovem, & occiderit, vel
vendiderit, quinque boves, pro uno bove
restituet, & quatuor oves pro una ove.
Quare quinque boves pro uno, & qua-
tuor oves pro una? v. Doctor Angelici:
Potest dici secundum Glossam: quòd
bos habet quinque utilitates, quia im-
molatur, arat, pascit carnibus, lac dat,
& corium etiam diversis usibus ministrat,
& ideo pro uno bove, quinque redde-
bantur. Ovis etiam habet quatuor uti-
litates, quia immolatur, pascit, lac dat,
& lanam ministrat.*

DEUS dat nobis infinita beneficia, dum tamen peccamus, nihil pro ablato honore suo petit, nisi cor nostrum pœnitens. O pœnitentia! quid de te novi referam? omnia ligata tu solvis; omnia soluta tu referas; omnia adversa tu mitigas: omnia contrita sanas; omnia confusa tu lucidas: omnia desperata tu animas. ait Sanctus Cyprianus.

83. Exod. 23. v. 19. *Non coques hædum in lacte matris suæ.* Quæritur, cur hoc præceptum datum? nunquid etiam ad culinam extenditur, DEI providentia? DEUM nihil aliud per prohibitionem velle, quam ut ab idolatria populum revocet. Nam ut dicit S. Thomas I. 2. Quæst. 101. Art. 6. ad 4tum. Gentiles in solemnitatibus idolorum carnes hædi cum lacte Matris suæ ad immolandum coquere consuevisse, ideo dat hoc præceptum, ne imitatio fiat Gentilium.

Quamdiu fugit hædus lac matris suæ, tener est. Hædus, est peccator: mater, concupiscentia: lac, concupiscentiæ suavitas. Dicitur Prælato: ne coquas hædum, id est dissolutè vivere non patiare peccatorem; quod enim in liquido coquitur, dissolvitur: nec in errore suo eum blanditiis confovebis, si eum asperè increpabis. inquit Bruno.

84. Exod. 32. v. 2. *Tollite inauras aureas de uxorum auribus.* Quæritur, cur Aarón

Aaron recte inaures petit, & non aliud, unde idolum conflari possit? ¶ Quia Aaron rem difficillimam petens, credidit avertere posse furorem populi, putabat enim per domesticam dissensionem, quæ ob hujusmodi oblationem in qualibet domo oriretur reluctantibus in mulieribus, & pueris monilium maximè aureorum amantissimis, id non posse assequi, quod optabant. Sed vicit impietas; nam nulla ex mulieribus reluctantata est petitioni Aaronis, quinimo libentissimè fecit.

Hæc est misera mortalium conditio, quod pro voluptatibus emendis, pro cupiditatibus satisfaciendis, nullis parcant sumptibus: qui que in carnis voluptates, in pompam, & luxum, censem omnem profundant. Utinam temporis illius, quod solicitudini homines in explendis pravis cupiditatibus tribuunt, tertiam partem deplorandis ex animo peccatis tribuerent.

Exod. 34. ¶ 1. Præcide tibi tuas tabulas lapideas, instar priorum--- quas frēgisti. Quæritur, eur nunc per Moysen faciendas tabulas, DEUS præcipit, priùs verò ipse fecerit? ¶ Quia, ut inquit Lyranus: In primis tabulis Moyses nihil fecit, in secundis verò ipse disposu-

*it materiam dolando, quia sicut alias fre-
gerat, justum fuit, ut istas dolaret.*

Docuit nos hac re mysticè Dominus, quòd ille resarcire debet damnum, qui intulit. Fregisti tabulas? præcide ergo, tuóque sumptu, labore, studiō, industriā para alias. Sic, & tu Christiane fregisti? violasti tabulas Legis? rupisti suave jugum Mandatorum DEI? refice hoc damnum tuis impendiis; nam quòd tu tabulas fregeris, aliis autem damnum resarciat: quòd tu malum egeris, & aliis id lusat; tu erò nihil diligentia facias proprium pro abolitione, stultitia est manifesta. Non sis ex iis, qui, quòd in Monasteriis Religiōsi, corpus flagris, ipsorum rogatu, coedunt, & jejuniis emaciant, vel sacerdotes Sacrum celebrant, rem suam totam confectam, bonâque causam apud Tribunal DEI, se habituros arbitrantur.

86. *Exod. 34. v. 23. Tribus temporibus anni apparebit omne masculinum tuum in conspectu omnipotentis Domini DEI Ibra-ël. Quæritur, quare Mulieres prætermittantur? Nam Lex illa eō fine lata est pro masculis, ut DEUM, Dominum suæ vitæ, omnisque felicitatis Authorem testarentur, ac venerarentur, quod beneficium idem præstandi æquè mulieres ligat?* v. Quia, ut inquit Oleaster: *A-
mat hoc genus exire, amat hinc inde di-
scur-*

scurrere. Hinc cum negotium se sistendi Domino, in profectione, & excursione positum esset, supervacaneum videtur mulieres præcepto ad id adstringere; at quia viri magis amant secum morari, faciliusque se domi contineant, ideo jussione evocandos illos potius, quam mulieres putavit Dominus. Otiosum esset mulieres præcepto ad peregrinationes, deserendumque domicilium urgere, ipsæ enim ex se procliviter excurrunt, prodeundique omnes occasiones, quam avide expectant, tam studiosè, & curiosè observant, ut & videre possint, & videri.

Levit. 5. ¶ 16. Ipsūmque, quod intulit damni, restituet, & quintam partem ponet supra. Quid est, & cur illa pars quinta? ¶ Quintam partem esse, quæ cedit in compensationem injuriæ, quam quis præter damnum irrogat. Huc ibant S. Hedvigis Reginæ oculi, quæ dum Uladislaus vir ejus, commeatum exercitiui suo à capitulo Gnesnensi postulasset, nec impetrasset, bona Fisco addixit, Vrum suum reprehendit, isque omnia restituit. At Regina subjicit: *Pignora qui-*

dem reddemus agrestibus, cæterum, lacrymas quis reddet?

Quantū in dies tolluntur in cœlum clamores injuriarum, quibus multi innocentes vexantur! Habet suas pium suspirium alas, quibus se cœlo insinuat; gemitus vel unicus ad DEUM emissus, è cœlo non redit vacuus. *inquit Drexelius.*

88: *Levit. 11. v. 13. & 14. Hæc sunt, quæ de avibus comedere non debetis, & vitanda sunt vobis: Aquilam, & Gryphem, Milvum, & Vulturem.* Quare de Milvo Dominus abstinere jubet? *Quia ut inquit Berchorius in suo Reductorio Morali Lib. 7. cap. 48.* Secundum Aristotelem, est quoddam genus milvi, quod in juventute volat ad alias aves, sed tandem in medio vitæ, dimitit volatum, & circa cadavera intendit: & tandem dum senescit, non nisi vermes comedit, & finaliter fame moritur. Et paulò superius dixerat: *quanto plus vivit, tanto magis se degenerem ostendit.* Milvus, tam spurio, & ignavo animo est avis, ut quo plus vivit, plus degenerat, cuius spiritus minuitur, dum incremen-
ta facit annorum; non illa inferatur domui DEI, hæc vitanda est nobis.

De-

Debemus nos genium habere, indoli hujus avis contrarium, sic, ut paribus profectibus vita, & annis augescat, & meritis, & processioris ætatis sit etiam provectionis spiritus: & consummatæ sanctitatis termino, tunc simus propinquiores, dum morti viciniores; parum enim refert ardenter cœpisse, si non animosè cursum perficiamus.

89.

Num. 11. v. 4. Quis dabit nobis carnes ad vescendum? Quæritur, cur Hebræi tanta cum importunitate, & aviditate carnes, pisces, &c. appetiverint, cum Manna omnium ciborum suavitatem, & gustum continebat. *Sap. 16. v. 20.*
Ex Augustino, qui *Lib. 2. Retract. cap. 19.* docet, id tantum viris probis, & pietatem, ac justitiam colentibus datum fuisse, tanquam privilegium, ut scilicet Manna saperet id, quod volebant; impios autem, qui fuerunt in peccato mortali, in manna non sensisse, nisi saporem naturalem, qui erat mellis, aut panis oleati, quem facile nauseabant.

Cura diligentissimè, ut dum manna cœlestè, id est, sacro-sanctum Panem Eucharisticum sumis, sinè peccato gravi inveniaris, profectò maximam inde suavitatem spiritualem sentias; secùs judicium tibi manducabis. Unde S. August. fer. 2. de Temp. dicit: *Mu-*

tet vitam , qui vult accipere vitam. Nam si non mutet vitam , ad judicium accipiet vitam ; & magis ipsa corrumpitur , quam sanatur ; magis occiditur , quam vivificatur.

90. *Num. 12- v. 10. Et ecce Maria ap- paruit candens leprā , quasi nix. Quæritur , cur D E U S ità rem instituit , ut Moyses non esset præsens , dum pœna hæc Mariæ Sorori infligeretur. ¶ Quia Moyses ad condonandas injurias procli- vissimè movebatur , hinc si Dominum , contra Mariam iratum vidisset , ad fami- liare orationis patrocinium se recepisset , D E U M que precibus ab inferendo sup- plicio amovisset , ità Oleaster.*

Ecce quid non facit apud D E U M oratio ! nullis certè satis explicari potest verbis , quantum possit apud D E U M oratio constans , ac perdurable , hominis sancti , quem ille charum , & amicum habet. Oratio mentem à terrenis magis levat , & elongat , quam cæ- teræ actiones : quia cùm illæ negotientur cum Martha circa frequens ministerium in servi- tiis ; oratio , cum Maria pedibus domini in- hærens , eum solùm sibi propitium esse exorat.

91. *Num. 20. v. 10. Quia non credidisti mibi , ut sanctificaretis me coram filiis Isra- ël , non introducetis hos populos in terram , quam dabo eis. Quæritur , quænam hic fuit incredulitas Moysis , & peccatum ?*

*. Peccatum Moysis fuisse veniale , quod dubitanter petram percuesserit; non quod dubitaret de potentia DEI , aut fidelitate in se , sed quod populum tam rebellem , DEUMque ita irritantem , indignum judicaret , hoc miraculo: ac proinde dubitaret , an DEUS illud esset facturus? & an id verè promisisset , an tantum per ironiam , aut conditionatè , quod Hebræi cessent murmurare , & credant DEUM ex petra dare aquas. Jam verò videns illos incredulos , dubitanter petram percutit , quasi improbabile esset ex petra aquam prodire , pro tam incredulis. *Cornelius à Lapide.*

Unde hominis ad DEUM suum tanta diffidentia , querit Oleaster in cap. 4. Exod. & respondet : Cognovi ex eo esse , quod quales nos sumus erga DEUM , talem eum arbitremur eremus: quia enim nos frequentissime DEO promissa mentimur , arbitramur DEUM nobis eriam promissa non servaturum.

*Num. 23. ¶ 10. Moriatur anima mea 92.
morte justorum , & fiant novissima mea horum similia. Utinam demens Balaam , potius optares: vivat anima mea vitâ justorum. quoniam naturali ordine sequitur mors bona vitam bonam , inquit Oleaster. Mors justi sequitur iustum , non injustum.*

ut stolidi Balaam, novissima tua fiant horum id est justorum similia, debent jam priora esse talia. Si optas mortem bonam, præmitte vitam bonam; inane est velle effectum, & non velle causam.

Balaam est effigies multorum Christianorum, qui etsi impiam vitam ducant, optant tamen, ut morte justorum moriantur, & fiant novissima illorum horum similia. Vitam ducunt ab operibus, virtutum feriatam, quæ trunci magis, ac stipitis vita est, quam hominis *inquit Seneca*. Volunt tamen regnare eum Christo, qui nihil boni in vita fecerunt in Christo. *Mori male timent, & vivere male non timent.* ait August. ser. de temp. 239.

93. *Deut. 6. v. 4. Audi Israël! Dominus DEUS noster; Dominus unus est.* Quid vult Dominus DEUS noster illis indicare verbis? Ex S, Ambrosio, illud velle, ut velut ipse semper unus est, ita semper unus sit, qui illum sic vult repræsentare in terris, ut comprehendere, & consequi possit in Cœlis. Unde sic concludit: *Epist. 1. Tom. 5.* Ad similitudinem DEI unus est, atque idem, non hodie sobrius, cras ebriosus: hodie pacificus, cras litigiosus, qui hodiernum diem inesum transmittit, cras se cibis infarcit superfluis, qui hodie est

nitens, cras laxus: hodie modestus, cras dissolutus, ille imaginem DEI non representat. Verum is, qui in studio virtutum semper unus est, ad cuius similitudinem factus est; soli enim perseverantiae decreta est palma, & constituta laurus.

Deut. 33. --- Legitur, quod Moyses 94. moribundus cum singulas Tribus supra-
ma benedictione benediceret, solam Tri-
bum Simeon non benedixit. Quare non
benedixit? R. Quia ut dicunt Hebrei
apud *Lyranum*, Simeon de venditione
Joseph primus tractavit, & reliquos Fra-
tres ad illam induxit, authorque fuit
structarum in Joseph insidiarum, ut *inquit*
Theodoreetus Quest. 46. Et inde est,
quod Joseph alios omnes Fratres dimit-
mitti jusserit, Simeonem autem compre-
hendi, vinciri, & in carcerem compingi.

Quoties tu author fuisti struendarum in proximum tuum insidiarum, & multos ad scelera varia inducendi, jam pravò tuo exemplo, jam hortatu, jam sermonibus, quibus ad mortale scelus faciem prætulisti, & Christum toties crucifixisti. Jam prodi in medium, & Judæos crucifixores condemnata, si audes.

95. Cur sacrum oraculum post Libros Moysis, statim subjunxit Libros Josue, & Judicum? *R. Abulensis*, quia Libri Josue, & Judicum, recensent sacra Exempla, & virtutes insignium Judicum, & illustrium Virorum, quorum præclara facta radios suæ sanctitatis, ac perfectionis tam latè diffuderunt. Libris Moysis, qui Legem tradunt, subjecti sunt Libri, historias narrantes eorum, per quos Lex illa ad amissum observata fuit, ut ab eadem observanda, nemo se excusare possit, cum fuerint homines, qui studiosissimè custodierint Leges, Ritus, Cæremonias, & quidquid sanctiones pragmaticæ cœlorum exigunt, & Mandatorum Divinorum catalogus complectitur.

Habes eundem D E U M, eandem fidem, eadem sacramenta, eandem doctrinam, auxilia parata eadem, quibus alii tam præstantes in omni genere sanctitatis evaserunt, quid te excusas de imbecilitate? non est natura, sed usus in culpa, inquit S. Ambr. in Psal. 118.

96. *Josu. 2. v. 1.* Misit exploratores in abscondito --- qui pergentes ingressi sunt domum mulieris meretricis. Qua de causa ad meretricem exploratores divertunt?

¶. Quia meretrices, cùm sint munerum avidissimæ , sunt aptissimæ præ aliis ad secreta prodenda. Hinc quia exploratores Josue , Rahab ex procacioribus verbis , aut gestibus cognoverunt esse scortum , illi sua munera , promissis adhuc majoribus , porrexerunt , ut illis fideliter omnia ediceret de secretis Urbis Jericho.

Hoc apud nos est carpendum , quòd studium habeamus explorandi aliorum vitam. Volumus scire , quid ille faciat , quid iste dicat , quid tertius disponat , quid quartus cogitet , & in hunc finem venaticos ejusmodi canes magnò sæpè numerō alimus. Et ipsi observabant eum. Luc. 14. etiam usque adeo ad superiorem suum observandum oculos attollunt.

*Josu. 6. ¶. 19. Quidquid auri, & ar 97.
genti fuerit --- Domino consecretur, re-
positum in Thesauris ejus. Quæritur,
quare in strage Jerichunti illata, tam se-
verè prohibuit D E U S , ne quis recula-
rum istius Civitatis , vel minimum quid-
pam sibi retinere auderet? ubi tamen in
Urbe Hai *Josue 8. ¶. 2.* concessum sit ,
dicente Domino: *Prædam, & omnia a-
nimantia diripietis vobis.* ¶. Quia muri
Jericho , absque ullo Ducum , Militum-
ve sudore , aut labore corruerunt. At
verò*

verò in expugnatione Urbis Hai suda-
runt Milites, vires suas exprompsérunt,
solicitudinémque, & vigilantiam maxi-
mam, quām potuerunt, adhibuerunt, i-
deo oportebat hic erogari præmia, fieri
retributionem, non item ibi.

Docemur per hoc, in Domo DEI non pos-
se illum expectare præmium, sperare coro-
nam, qui non, ut strenuus in hac vita mi-
les pugnaverit, sed otiosus, & malè feriatus;
suæ tantum voluptati servit, & vitiosas secta-
tur delicias. Ille præmium coelestis gloria
percipit, qui certamen contra infrenes cupi-
ditates suas, & immoderatas appetitiones,
& carnis pervicatiam, & mundi vanitates,
& infidias diaboli fuscipit.

98. *Josu. 10. v. 12. Sol contra Gabaon
ne movearis. & Luna contra vallem Ajalon.* Quæritur, cur Josue, dum Solem
stare jussit, etiam Lunam se movere pro-
hibuit? An non, ipso præcisè stante so-
le, diem; & lucem pro continuanda vi-
ctoria sufficientem habuisset? *v. Josue*
imperasse standum etiam Lunæ, quia
timebat Ecclypsim solis, si sol staret, &
luna in suo cursu pergens, terram in me-
dium ponens, solem ecclypsaret.

Bona Christiani Philosophia dictat, ut ho-
mo videat, an ex actione sua, quam pone-
re

re vult, bona, vel mala sequatur consequentia? si mala, actionem evitet; si bona, insuum usum transferat. Facere docet Philosophia, non dicere; & hoc exigi, ut ad Legem suam quisque vivat, ne orationi vita dissentiat. ait *Seneca Epist. 20.*

Judic. I. v. 12. Qui percusserit Ca- 99.
riath, Sepher, & vastaverit illam, da-
bo ei AXAM filiam meam uxorem. Quo-
modo fieri potest, ut unus quidam so-
lus, totam ferro vastaret Civitatem Ca-
riath Sepher? *v. Non id, eō consilō fa-*
ciebat Caleb, ut ab uno solo interemptos
omnes illius incolas vellet, hoc enim e-
rat naturaliter impossibile: sed cūm prin-
cipium sit fons, ex quo felix ejus finis
promanat; propterea primo Urbis inva-
sori prœmium, primo aggressori civium
Laurum promittebat, ut acutē notavit
Abulensis Quæst. 14. in cap. I. Judic.

Ut finem destinatum, optatūmque conse-
 quaris, necessum est, ut magnō animō te
 præpares ad suscipienda studia virtutis, &
 perfringendas, quæcunque occurrere possunt
 difficultates. Quisquis enim semel audacter,
 & ardenter in virtutis arenam descenderit,
 illam cum DEI auxilio, animosè, & felici-
 ter conficiet.

100. *Judic.* 3. ¶ 20. *Verbum DEI habeo ad te, qui sicutim surrexit de Throno.* Unde est, quod *Aod* finxit se habere verbum DEI ad Regem *Eglon* populi Hebræi sangvinarium hostem? ¶ Quia cùm *Aod*, *Eglon* Regem confodere in animo haberet, & videret illum in Throno admodum sublimi sedere, ipsum quamdiu sedebat, tam commode, celeriterque ut volebat non potuit, ac propterea optabat ut surgeret, quō configere expeditius valeret. Cùm ergo prudenter arbitrabatur de folio surrecturum, reverentérque auditurum, quæ dicere velle simulabat, si crederet negotia DEI esse, de quibus cum illo communicatum veniret, hac de causa finxit se habere verbum DEI, DEI inquam seu Hebræorum, seu I dolorum, quem colebat *Eglon*.

Discat homo Christianus à Rege Gentili, qui audito nomine DEI è Throno suo ob reverentiam descendit. Quid tu facis dum audi Nomen J E S U? an inclinas caput? an dum in Missa S. Hostia elevatur ex sede surgens, devotè flectis, vidi tamen aliquando, esto, & viderim, quod frigidè satis. In die judicii surget Eglon iste gentilis, & sonanter nostram coram universo mundo exprobrabit inurbanitatem, vel verius impietatem.

Judic.

Judic. 4. v. 5. Judicabat populum in ior. illis diebus, & sedebat sub palma. Quæ causa, quod D E B O R A sub palma sedisse dicitur? ¶ Quia suum tribunal colloca- verat sub palma; & quia vivebat ex illa palma, voluit ibi subsistere, ut omnes quotquot ad illam consilia acceptum ve- nirent, scirent ibi inveniri posse. Ita To- status. Hugo Card. hanc dat rationem: quod tunc bellum parabatur adversus Si- saram, consilium autem sub palma con- gruebat, ut bono prognostico esset, quod palmam ab hostibus suis referrent.

Hoc tibi prognostico erit, quod trium- phabis de hostibus, quamdiu triumphabis de vitiis; simul ac de præceptis DEI deflectis, miser eris. Nulla est major victoria. quam vitia domuisse. ait Seneca.

Jud. 9. v. 6. Congregati sunt omnes in ior. viri Sichem ---- & constituerunt Regem Abimelech, Quomodo Sichimitæ non horruerunt in Regem suum eligere Abi- melech sangvinarium, qui septuaginta Fratres suos occidit? ¶ Quia extruci- datorum ab Abimelech Fratrum facto, sic ratiocinabantur Sichimitæ: Si Abimelech tantum animum habuit, ut Fratrum suo-

rum sangvini non parceret, certò certius sangvinem hostium magis fnndet: Si in sibi conjunctissimos crudelis fuit, quomodo in hostes pius erit? Quid aliis facere credatur, qui non parcit suis? inquit S. Ambros.

Si in Creatorem DEUM optimum ingratifiuerimus, quomodo in proximum gratierimus? Hinc dicebat quidam *Luc. 18. v. 4.*
Et Si DEUM non timeo, nec Hominem reveror. Non potest homini amicus esse, qui DEO fuerit infidus. ut inquit Sanctus Ambrosius *Libr. 3. Offic. Cap. 16.* *Nec scit in DEUM esse pius, qui in Homines est inhumans.*

IQ3. *Jud. 11. v. 6. Veni, & esto Princeps noster. Respondit Jephte Legatis: Nonne vos estis, qui odisstis me, & ejecistis de Domo Patris mei.* ibidem v. 7-mo.
 Quæritur, quare Jephte Principatum tam morosè acceptavit? R. Quia frequentes ab illis contumelias acceperat, injurias multas, & fraudes passus fuerat. Ideo, *non statim*, inquit Lyran. *Credit eis, propter ea, quæ passus fuerat ab eis.* Vir enim cordatus non statim credit oblatos sibi honores ab animo illorum sincero proficiisci, qui irrogarunt aliquando injurias.

Nun-

Nunquam securè bona ab illis expectari debent, qui notoria fuerunt malorum nostrorum instrumenta. Domus suspecta, in qua castitas naufragium fecit, et loca, in quibus vita morti vicina fuit, semper formidanda sunt, semperquè cavenda, uti & amicus fucatus, cuius fides pejor est græcâ.

Jud. 11. v. 39. Expletisque duobus 104.
Mensibus, reversa est ad Patrem suum, &
fecit ei, sicut voverat. Cur Jephthe non
fuit impeditus, ab occisione Filie suæ,
sicut Abraham ab occisione Isaac Filii sui,
fuit impeditus? ¶ Ideò fortassis, in-
quit Portel. cum aliis, filia Jephthe per-
missa fuit occidi, nec liberata miraculô
de manu sacrificantis, sicut Isaac de ma-
nus Abrahæ, quia filia Jephthe Virginita-
tem servatam deploravit: Dimitte me,
ut duobus Mensibus circumeam Montes,
& plangam virginitatem meam. Quod
DEO displicuit, eam in majori pretio
statum conjugalem, quam virginitatem
habuisse.

Si tantum zelum DEUS ostendit pro æsti-
 matione virginitatis, circa puellam, quæ
 eam non voverat observare; quid circa Re-
 ligiosos, ipsi Sacra Professionis sponsione di-
 catos faciet, si, quod absit, mente, aut cor-

pore non integerrimam, usque in diem mortis puritatem exhibeant?

105. *Jud. 15. v. 4.* *Perrexitque, & cœpit 300. Vulpes.* Quali arte tot vulpes capere potuit? R. DEUM per Angelum secundasse actus Samsonis, ut tot colligeret eō loco, et modo, quo sciebat à Samsone capiendas. Sicut animalia omnia adduxit ad Noë tempore diluvii, ut ipse ea, eorumque stirpem servaret in Arca: aut verò artem, & rationem hās vulpes capiendi, Samsoni suggestisse.

Tropologicè vulpes sunt fraudes hæreticorum, qui blanda facie promittunt salutem, sed caudis suis ignem æternum secum trahunt. ita Sanctus Ambros. & August. Et ut dicit S. Leo Ser. 5 de Jejunio X. Mensis. *Humiliter irrepunt, blande capiunt, molliter ligant, latenter occidunt.*

106. *Jud. 16. v. 28.* *Domine DEUS memento mei, & redde mihi nunc fortitudinem pristinam.* Quæritur, cur non potius sibi petit restitui lumen oculorum? R. Quia cùm oculorum occasione, & ductu, quòd oculos suos cum amore in Mulierem quampiam conjecerit, & inde in tanta mala devenerit, maluit cœcus manere, quam oculos, quibus forsan denuo

denuo ad peccandum dirigeretur , sibi restitui. O quanta prudentia! In hoc patet ; inquit Abulen. rectum judicium Samsonis.

Docemur per hoc , quam periculosa sit imprudentia ; quod homo è vitiorum febre convalescens , eadem peccata repetere velit , quibus in tam manifestum discrimen adductus fuit. *Ubi prudentia ad clavum sedet , clavesque moderatur , felix navigatio , fortunatum gubernium.* Prudentia est : mundum istum , & omnia , quæ in mundo sunt , divinorum contemplatione despicer , & omnem animi cognitionem in sola divina dirigere. *inquit Macrobius Lib. I.*

Jud. 18. v. 1. In diebus illis non erat 107.
Rex in Israël. Quomodo hoc verum est , cum Samsoni successerit Heli , qui regnavit Annis quadraginta? *v.* Sacra Scriptura non æstimavit dignum referre ipsum Heli post Samsonem , quia Heli ob intollerabilem conniventiam indignus habetur nomine Judicis. Audi Rupertum *Lib. 4. Cap. 10.* *Judicabat quidem Israël secundum nomen , et personam , secundum rem , meritumque nullus erat , quia in diebus ejus calce abjecere Legem DEI , nimia ferè omnibus licentia fuit.*

Optimè una Regula dixit: *Si re privēris, nec nomen habere mereris.*

Curandum diligenter, ne, ut monet S. Ambrosius in Cap. 3. Apocal. Sit nomen inane, & crimen immane, religiosus amictus, irreligiosus profectus: gradus excelsus, & deformis excessus, ne locutionem simulemus columbinam, & uitam babeamus corvinam: Ne professionem monstremus ovinam, & ferocitatem habeamus lupinam.

108. *1 Reg. 6. v. 19. Percussit de Popula septuaginta viros, & quinquaginta millia plebis.* Quare D E U S ita in populum suum tuus defæviit, cum pro Arca redditæ lœtari omnes, & gaudere debuisse videntur? *R. Quia, ut inquit Theodoreetus Quæst. 14. in Lib. 1. Reg. Populus fuit castigatus, ut qui noluerit pro Arca adire pericula.* Arca capta erat à Philistæis Dux Israëlitarum, quibus ad bella præibat, & in omni conflictu ancipiti subsidium ferebat, ac in rebus dubiis responsa dabat: Cùm ergo Arcam in potestatem Ethnicorum redactam indignè dehonestari, & sacrilegè profanari viderent, non laborabant, ut eam, & à captivitate, & à probris vindicarent, cùm tamen pro liberatione ejus, ac redemptione, suas facultates, existimatiōnem,

nem, sanguinem, & vitam ipsam offerre debuissent,

Hac doctrinâ docemur, quanta Regibus obsequendi voluntate esse debeamus, ipsisque si quando indigeant, omnibus nostris, & vi-ribus, & rebus subvenire, ut nec sanguini, nec vitae parcendum, si eam pro illorum sospitatione profundere sit necessum.

I Reg. 15. v. 15. Et ait Saul: peper-109.
cit populus melioribus ovibus, & armen-
tis ----- reliqua verò occidimus. Quid
est, quod Saul se authorem cædis facit,
& servati gregis culpam in Populum re-
jicit, cùm tamen versu hujus Capitis 9.
dicatur: *Pepercit Saul, & Populus opti-*
mis gregibus ovium, & armentorum ?
¶ Quia Saul amabat dicere, quæ ad
commendationem sui faciebant, & tace-
bat, quæ ipsum dedecebant, & quoni-
am occidisse Amalecitas, resque illorum
perdidisse, honorificum erat Sauli, id-
circò ajebat: *occidimus.* Sed quia ser-
vasse ea, quæ mactanda, & vastanda fu-
erant, peccatum erat, omnem in Popu-
lum culpam refert, dicens. *Pepercit po-*
pulus.

Hinc docemur, quam optimè sciat homo
publicare, ex quo laudem habeat, & dissimula-

mulare, quod dedecori esse queat. Omnes etiam de vulgo extremo Rethores sunt ad commemorandum, & amplificandum, & extollendum, quae sibi honorifica, & fructuosa sunt, & muti esse ad ea, quae honori, & existimationi officiunt.

110. *I Reg. 20. v. 30. Fili Mulieris virum ultrò rapientis.* Sic Saul ad Filium suum Jonatham loquebatur, sed, quae verborum significatio? *R.* Sensum hunc esse; Fili meretricis; haec enim viros ambit, & ad scelus allicit. Quasi dicat Saul: Videris mihi o Jonatha non esse Filius meus, sed Matris adulteræ, eō, quod non parcas, nec faveas mihi, sed Davidem magis amas, quam me, quasi ille, aut aliquis ejus cognatus sit Pater tuus, non ego: aut vero Mater tua, non ex me, sed ex Davide te conceperit, & genuerit.

Timeamus, ne Pater Cœlestis, nos neget esse suos filios, quod mandatis ejus non pareamus, quid, si dixerit: *Vos ex Patre diabolo estis.* Joan. 8. v. 44. *Deum time, & manda ejus observa, hoc est enim omnis homo.* (: id est, ad hoc est omnis homo.:) Eccl. 12. v. 13. *Scito, & vide, quia malum, & amarum est reliquisse te Dominum DEUM tuum, & non esse timorem mei apud te.* Jerem. 2.

I Reg. 21. v. 6. Dedit ergo ei Sacerdos sanctificatum panem. Quare panes laicos non dedit? & cum laicos ad manum non haberet, quare alio non misit? Cur non ad viciniam? ¶ Quia cum Achimelech Davidem tam obtemperantem præcepto Regis, tamque expeditè, & celeriter iussa ejus exequi vidi, id satis arbitratus est, ut ei Sacros panes offerret, & ideo ob urgens negotium, non misit alio pro panibus laicis. Vide Abulensem in Cap. citatum.

Verus obediens parat aures auditui, Lingvam vocis, manus operi, pedes itineri; & sic se totum intrâ se colligit. ut mandatum per agat imperantis, inquit S. Bernardus Sermon de Obedientia. *Hodie invenies multos subiectos, qui exigunt, ut superior querat: quid vis, ut faciam tibi? non ipse querunt: Domine quid me vis facere?*

Sed cur Achimelech de sola militum 112. Davidicorum munditie interrogavit, dicens: *Si mundi sunt pueri?* Quare de munditia David non inquisivit, qui de iisdem panibus Sanctis comesturus erat? ¶ Quia Sacerdos Achimelech, vidi celerem Davidis obedientiam, & ideo illum de munditia non examinavit: sci-

ens non posse illum non esse valde Sanctum, qui tam prompte esset obediens. Nam in una perfecta obedientia, omnes aliæ virtutes, velut in compendio, inclusæ videntur, & ideo absque omni indagine, statim illi dedit panem Sanctum.

Obedientia est spontanea mors ---- & sepulchrum propriæ voluntatis, inquit Climachus Gradu 4. de gradibus Obedient. Sola obedientia est, quae fidei meritum possidet, sine qua infidelis quisque convincitur, etiam si fidelis esse videatur. S. Greg. Lib. 35. Moral.

113. 1 Reg. 25. v. 4. *Cum ergo audiisset David ---- quod teneret Nabal gregem suum, misit decem juvenes. &c.* Quæritur, cur David recte eō tempore, quod Nabal teneret oves, misit ad ipsum juvenes pro succursu necessitatis alimenti? *&c.* Causam dat Abulensis, Quæst. in citatum Cap. dicens: *Voluit petere nunc, & non alias, eo quod crederet eum nunc magis esse dispositum ad dandum, quam alias; quia in die illa tenebantur oves, fiebat lætitia magna, & convivia, & cum tunc sint homines biliores, esset magis dispositus ad dandum, sed Nabal fatuus, negavit, quod petebatur.* Multa David bona domui Nabal contulerat, nec

nec tamen unicum, quod petit, imperat, quin & convitiis Davidem lacescit.

Quanta tibi DEUS infinita beneficia contulit, & in dies confert? petit a te servitum amoris sui, & dixisti: *Non serviam Jezrem. 2. v. 20. Multi habent multa dona, & DEUM nesciendo, à quo habent, impia vanitate jaestantur. Nemo autem est donis DEI beatus, qui donanti extiterit ingratus,* ut habet S. Aug. Lib. de Viduitate. Cap. 16.

2. Regum 2. v. 14. *Surgant Pueri, 114. & ludant coram nobis.* Quæritur qualis hic lusus militum David, & militum Isboseth, in Gabaon? v. Lusum hunc fuisse cum Capite, ut patet ex Litera, ubi dicitur: *Surrexerunt ergo apprehensōque unusquisque Capite Comparis sui, defixit gladium in latus contrarii, & ceciderunt simul.*

Hi ludi prius in Gabaon producti, hodie saepius reproducuntur. Gabaon idem sonat, ac Calix. Quando convenitur ad Gabaon, ad Calicem, nil usitatius est, quam ut surgant; atque sic luditur: ille vicinum atrahit, alter amicum, gladiumque Linguæ suæ nunc in Caput, nunc in Pectus Comparis sui desigit. Luditur cum honore Proximi, vel Nomine, sed detestabili lusu; unus facta configit, alter dicta transverberat: iste cæsim formam vultus fauiciat. ille pun-

punctim gressus pedum vulnerat: jacent postmodum hinc inde frusta dilaniati honoris, & nominis. O lusum Cœlo indignum!

115. 2. Reg. 8. v. 1. *Tulit David frænum tributi de manu Philistium.* Quid est frænum tributi? ~~¶ Frænum appellari immoderata tributa, nam, ut fræno equus regitur, & à sessore retinari, & quamcunque in partem flecti potest: sic Princeps tributo subjicit subditos, cogitquè illud, & dare, & facere. Rex ergo David cupidus felicitatis suorum subditorum, redemit eos, ab illa terribili oppressione, quam sub tyrannide Philistinorum annis pluribus Israelitæ patiebantur.~~

Sic & genus humanum erat sub fræno tributi diaboli, sed tulit illud David, seu Christus Dominus per Passionem, & Mortem suam, qui cupidissimus felicitatis hominum, redemit ab intollerabili oppressione, & posuit sub suavi jugo, & onere suo levissimo, Juxta illud Matth. 11. v. 30. *Jugum meum suave, & onus meum leve.* Utinam hoc crederent homines! sed ut inquit S. Bernard. Ser. in Cantica. Nunc frustra clamat Christus de levitate oneris sui, sine causa jugum suum suave prædicat: quando quidem & ab ipsis, qui Christianò censentur nomine, onus

nus diaboli, & jugum carnis, atque sæculi
hujus, delectabilius reputatur.

2. Reg. 8. v. 13. *Fecit sibi David*^{116.}
nomen --- capta Syria in valle Salina-
rum cæsis decem, & octo millibus. Quid
 est, quod hoc nomen grande paravit,
 ubi non tam multos, quam alibi hostes
 fuderit? Adarezer enim Regem Soba
 percussit, cæpitquè ex parte ejus mille
 septingentos equites, & viginti millia
 peditum. Et de Syria percussit viginti
 duo millia, nequè tamen hic, & ibi Scrip-
 tura refert fecisse sibi nomen? ¶ Quòd
 in valle Salinarum factâ cæde decem
 & octo millium, nomen gloriosum aquisi-
 vit, inde est, quòd, quos ibi trucida-
 vit, illos etiam honorificè sepeliri cura-
 vit, quòd aliis à se cæsis, non scitur Da-
 vid fecisse. Lege Tostatum in Cap. 8.
 Lib. 2. Regum.

Hæc est summa integritas amoris, hoc si-
 gnūm veri, & sinceri Christiani, nempè di-
 ligere inimicos, mortuos sepelire; benedi-
 cere maledicentibus, orare pro persecutori-
 bus. Arduum quidem opus, sed facientis
 magnum meritum; difficile est eam repu-
 gnanti naturæ inferre vim, ut hoc faciat,
 sed ingens victoriæ gloria. Quantò majus pe-
 riculum

riculum in prælio, tanto majus gaudium in trium-
pho. ut docet Aug. in Soliloquiis.

117. 2. Reg. 18. v. 3. *Non exibis, quia
tu unus, pro decem millibus computaris,
meliùs est igitur, ut sis nobis in Urbe
præsidio.* Quare David in campum ad
prælium exire volenti, Populus svasit,
ut potius in Urbe remaneat? R. Davi-
di svasisse populum manere domi, non
tam ideo, quod quasi dimidius exerci-
tus cæderetur, si ille cæderetur; quam
quia ipse manens in Urbe, tantum age-
ret orando, quantum decem millia de-
euntibus ad bellum, pugnando, inquit
Abulensis.

Velut aurum apud homines omnia subigit,
sic oratio est aurum, quod immensa DEI pie-
tas, se vinci tolerat, ut hominum precibus
cedat. *Labia sancta exaudit DEUS,* & ipsi
cito annuit precibus, quas lingua immaculata pro-
nunciat. inquit S. Hyer. Epist. 14. Tom. 9'

118. 3. Reg. 3. v. 25. *Dividite infan-
tem vivum in duas partes.* An æquum
hoc, & justum, ut dividatur infans?
R. Minime. Nec hoc intendebat Sal-
omon, sed elicere voluit Rex sapientissi-
mus abditos affectus. Hinc penitissimam
Salamon causam notitiæ accipiens, sic
sapi-

sapientissimè conclusit: Non potest in ea mente locus esse justitiæ , ubi tam potenter imperat affectus invidiæ.

Si D E U S charitas est, ipsa invidia dæmon sit, oportet; ut igitur, qui charitatem habet, D E U M in se manentem habet; ita, qui invidiam fovet, dæmonem haud dubiè in se ipso nutrit, & alit, inquit S. Bas. Orat. I. *Magis speranda est Salvatio ejus, qui parum boni facit, & factis aliorum favet, quam illius, qui multa, & invidet aliis.* ut habet S. Ansel. Cap. 43. Tolle invidiam, & tuum est, quod habeo; tollam invidiam, & meum est, quod habes. S. Aug.

*3 Reg. 3. v. 26. Nec mihi, nec tibi,*¹¹⁹
Sed dividatur. Quarè Rex Salomon mulierem illam falsariam deprehendens, immunem abire permisit, & non punivit? *v.* Satis illam mulierem punitam fuisse à Salomone, dicit Basilius Seleucus Or. I. Nam Rex condemnabat hanc mulierem, ut domum rediens haberet præ oculis fascias, & panniculos, quibus involutus erat infans, quando dormiens oppressit eum; horum enim aspectus erat Matri tormentum ingens, ita, ut illa solitudo fuerit illi pœna gravior, quam infligere potuisset Salomon.

Quām ingens tormentum in morte peccatori adferet aspectus fasciarum, & pannorum fordidorum, quibus involutus erat, vitiorum? ubi omnia peccata, etiam ea, quæ ex memoria effluxerant, detegentur. Ibi condemnabitur quid quid fuerit inventum in te, operis vel otii, sermonis, & silentii, usque ad minimam cogitationem, etiam quod vixisti, si non fuerit ad voluntatem DEI directum. inquit S. Ansel.

120. 3: Reg. 6. ¶ 7. Domus autem, cùm ædificaretur de lapidibus dolatis, atquæ perfectis ædificata est, & malleus, & securis, & omne ferramentum, non sunt audita in domo, cùm ædificaretur. Quomodo hoc sine omni strepitu fieri potuit? ¶ Quia, ut dicunt Abul. Lyran. & Ribera: Lapides jam dolati erant, undè nec malleo, nec securi, nec ferrō ad eos dolandos, & aptandos opus erat, sed tantum calce ad eos inter se conglutinandos. Fuerant autem dolati, & perfecti in monte Libano, vel alibi, antequam in Sion ad fabricam Templi adducerentur.

Nos DEUM verum in Altari habemus, quot tamen strepitus per risum, confabulationes, quæstiunculas, ubi nam, dum Missa finietur, celebrandum sit mensale Symposium?

um? ubi mulierum conciliabulum? ubi pro pecunia ludendum, facimus. Optimè dixit Chrysost. hom. 33. in Math. *Domus priscis temporibus Ecclesiæ erant, nunc ipsa Ecclesia in Domum redacta est.* Utinam non in macella! in quibus aliqui carnalia sua miscent colloquia; viva Carne Christi in Altari de spectâ.

3. Reg. 9. v. 11. *Dedit Salomon Hyram viginti Oppida in terra Galilææ.* Andando tot Oppida fuerit avaritia, vel prodigalitas? v. Aliquos docere, fuisse avaritiam, quia inquiunt, terra illa infœcunda, & valetudini parum amica fuit. Idcirco etiam Hyram non contentus dicebat: *Hæccinè sunt Civitates, quas dedisti mihi Frater?* Ibidem. v. 13. Alii has Urbes Hyramo datas, prodigalitatem vocant, quod cum dare potuisset frumentum, oleum, & pecuniam, dare tamen maluit prædia, & latifundia, quæ sic à Terra Sancta sunt abscissa, & in possessionem Gentilium redacta.

Sunt multi, qui opes suas in DEI domos, ac titulos venire sinunt, & chariora sua prælia in DEO erectas Basilicas, munificè erogant; at major est numerus eorum, qui integra patrimonia sua scortis, & pellicibus suis prodigaliter offerunt, DEO interim ne

uno quidem lapide in illius Domum, ac Titulum dicatō, aut in pauperes unō vel saltem nummō erogatō. Vetus adagium fuit: Nemo dat, quod non habet; nunc nemo dat, quod habet.

¶ 22. 3 Reg. 18. v. 42. *Pronus in terram posuit faciem suam inter genua sua.* Quid sibi vult Elias per situm illum inusitatum, quem hic in orando adhibuit? *¶ Ut nimirum demissō corporis gestu, cordis, animique excitaret humilitatem, quæ necessaria est oranti.* Lyranus sic habet in cap. illud: *Pronus in terram posuit faciem suam inter genua sua, ut devotius oraret ad divinum beneplacitum impetrandum pro communi populo:* ut nimirum majori cum reverentia, atque humilitate divino Numinis necessitatem communem exponeret, & subsidium efficacius impetraret.

Estne tua similis in Ecclesia oratio? est, scilicet; dum poplitē unum inflectis more supplicantis, alterum erigis more illudentis, & oculos in omnes templi angulos conjicis, nullusque templum ingreditur, vel inde egreditur, qui oculos tuos prætereat. Amor DEI, est vita animæ; si ergo vis animam vivere ex amore DEI, non debes oculos quaqua versū apertos gerere, sed claudere,

& uni

& uni duntaxat DEO servare. Nequius ocu-
lo quid creatum est? Eccli. 31. v. 15.

3. Reg. 19. v. 3. *Timuit ergo Elias*,¹²³
& surgens abiit, cumque venisset, ut se-
deret subter unam Juniperum, petivit a-
nimæ suæ, ut moreretur. Mira res!
Cum Ministri impiæ Jezabelis eum ad
mortem persequerentur, fugit in mon-
tem, ne moriatur, cur nunc petit, ut
moriatur? *E. Eliam petivisse, ut mo-*
reretur morte naturali: fugisse in mon-
tem, ne moriatur morte violenta. Ad-
de quod Elias timebat non tam mortem,
quam Jezabelem, in exscindenda vera
Religione obstinatam.

Quæ mors nobis continget, violenta, ^{an 124} naturalis? nescimus. Timeamus Dominum,
 quia timenti Dominum bene erit in extremis, *&*
in die defunctionis suæ benedicetur. Eccli. 1. v. 13.
 Timor datus fuit homini, ut timeret DEUM,
 & timeret ab eo separari, & eum offendere,
 & puniri, & ab ipso damnari. *inquit S. Bon.*
Cap. 21. Lib. I.

Sed quare subter Juniperum, & non
 subter alias arbores requievit? *E. Causa*
 est, quia in monte illo, ad quem fuge-
 rat, multi erant Serpentes, & ideo sub
 umbra Juniperi, quæ naturalem virtu-

tem habet fugandi Serpentes, ut tutus,
& securus viveret, requievit. Quòd
autem umbram Juniperi, fugiant serpen-
tes, docet Plinius, & ex Plinio Bartho-
lomæus Anglicus Lib. de proprietatibus
rerum. Cap. 84.

Si tutè requiescere vis, pone te sub um-
bra Crucis Passionis Domini, quæ Crux vir-
tutem habet fugandi serpentem antiquum,
qui est diabolus. Nam ut inquit Cassiod. su-
per Psalterium: Crux est humilium invicta
tuitio: superborum abjectio: victoria Chri-
sti: perditio diaboli.

125. 3. Reg. 17. ¶. 4. Corvis præcepi, ut
pascant te. Quomodo Elias nutriebatur,
quærerit Chrysost. Corvus enim in Lege
impurum animal habetur. ¶. Si panis
est bonus, & caro pinguis, quid refert,
quòd allata fuerit ministerio corvi, à quo
Lex prohibet, & abhorret? hac enim in
re, non dispensatoris conditio, sed cibi
bonitas attendenda est; nam si venenum
columba portaret, non ideo mortiferum
esse desineret. Nunquid Isaäc de ven-
tione Esau Filii aliàs flagitiosi vesceba-
tur? Sed, ut inquit Guilielmus in Cap.
25. Gen. Venatio erat bona, et si non
bonus venator.

Verbum DEI cibus est animæ; qui hunc nobis cibum ministrant, sunt Dispensatores Ecclesiæ; quod si forte improbus est Dispensator, nihil id bonitati almoniæ officit. Sit Doctrina Sancta, sit Catholica exhortatio, sit verum, quod dicitur, non habes, quod cures, qualis sit ille, qui docet, vel instruit: sit utilis, & fructuosa Concionatoris admonitio, etiam si improbus sit, tum ille vivat, ut volet; tu non vitæ tui Magistri, sed Doctrinæ, quam tradit dabis rationem. Si candela bene luceat, quid officit, quod candelabrum sit ligneum? Non a quo fiat ad rem pertinet, sed quid fiat. ait Seneca.

4. Reg. 2. v. 12. Pater mi! Pater mi!¹²⁶
Currus Israël, & Auriga ejus. Quare Elifæus vocat Eliam, Currum, & Aurigam? R. Quia tanquam currus sustinebat onera Reipublicæ: tanquam Auriga dirigebat omnia ad publici boni, & Religionis emolumentum. Erat simul currus, & Auriga; regebat, & regebatur subditus ipse DEO, ipsi Populus.

Doctor, qui mores Populi, & per patientiam sustinet, & Sacri eloquii verbum docet, currus dicitur, & Auriga. inquit S. Greg. Hom. 22. in Ezech. Currus, quia tolerando portat; Auriga, quia exhortando agitat: Currus, quia mala sustinet; Auriga, quia Populum bonis admonitionibus exercet. Do-

ctor ex S. Thoma Lect. 4. debet quinque docere, juxta illud 1Corinth. 14. v. 19. *In Ecclesia volo quinque verba meo sensu loqui.* quæ illa verba? R. Credenda, agenda, vitanda, speranda, timenda. Hæc Doctor, seu Sacer Orator Populum docere tenetur, tanquam præcipua christianæ institutionis Capita, ut sit dignus Auriga Israel.

127. 4. Reg. 12. v. 3. *Verumtamen excelsa non abstulit.* Quis sensus hujus Scripturæ? R. Sensum hunc esse: quidquid hic, vel ille Rex fecit, hoc tamen non fecit, ut loca profana, & Sacrilega in locis editioribus constructa demoliretur, in quibus turpis cultus inanibus dæmoniorum simulacris, ad insigrem veri DEI injuriam deferebatur. De paucis hoc dicitur, quod excelsa abstulerint; David, Ezechias, & Josias communem hanc notam evaserunt.

Hodie plurimos videoas, qui excelsa hæc non auferunt, hoc unum eorum præclarè factis deest, quod excelsa cupiditatis dominandi non dejiciant; contagium hoc tam commune est, tam vulgaris pestis, malum tam latè diffusum, ut paucos reperias, quibus caput à vana dominandi cupiditate non intumerit, & quorum ingenia fœtido ambitionis fundo immersa non jaceant.

4. Reg. 23, v. 37. Et fecit malum (: Jo-^{128.}
achaz:) coram Domino, juxta omnia,
quæ fecerant Patres ejus. Cùm tamen
Pater hujus Joachaz Josias nempè, Rex
fuerit sanctissimus, & religiosissimus, quo-
modò ergo hoc verum erit? v. Ex Pra-
do, qui in Cap. 19. Ezech. Num. 13. sic
habet: *In his Patribus, quorum scelera
imitatus est Joachaz, non censendum Fo-
siam, sed eos tantum numerandos, qui il-
li authores fuerunt flagitiorum, quæ per-
petravit, & generarunt in ipso improbi-
tates, quibus se obstrinxit, eò, quod in
aperto sit: non minore jure ejus, cujus
mores imitatur, quemcunque dicendum es-
se filium, quam ejus, à quo genitus est.*
Complures habuit Rex Joachaz Magistros,
à quibus ad enormia scelera institutus
fuit: & ideo tam Pater nimirūm est, qui
moribus alium informat, quàm, qui vi-
ta illum donat. O quot hodiè similes
millenos, & millenos habet mundus Pa-
rentes, & perditionis Magistros!

Tobiae. 5. v. 16. Rogo te indica mibi,^{129.}
de qua Tribu es tu? aut de qua Domo?
respondit Angelus: Genus quæris Merce-
narii, an ipsum mercenarium, qui cum

Filio tuo eat? Quæritur, an è re fuerit interrogare de Domo, & Tribu? ¶ Quid Tribui, domui, generi parentibus, officio, ad quod Raphaël expetebatur? Comitem consultum, circumspectum, expertum; non sanguinem, Prosapiam, Tribum, causa tunc illa postulabat. Quid profuisset, si è nobilissima Tribu, atque illustrissimo Stemmate oriundus Raphaël, & interim officio, ad quod deposcebat, ineptus fuisset. At si per virium facultatem, ab omni periculo tutari, aut eximere Tobiam juniores potuisset, quid obfuisset Tribus illius, ut ut extrema, & extremarum infima. Quid obest, si Comes, vel Princeps in foveam cadit, & rusticus extrahit?

130. *Judith. 16. v. 23.* Porro *Judith univerſa vasa bellica Holofernis, & conopæum obtulit in anathema oblivionis.* Quæritur, cur sibi servare noluerit? ¶ Voluit Judith fugere occasionem peccati. Nam ut ait S. Ambr: *ex occasionibus occasiōnēm, & audaciā accipit diabolus, ut redeat,* quasi diceret Judith: *Vasa ista bellica &c.* possunt esse diaboli, quibus me

me tentare potest, revocando mihi in memoriam illecebroflos Holofernis oculorum nictus, frequentia cordis suspiria, calentissimas manuum compressiones; abeant ergo ex oculis meis, hæc vasa bellica, ne mortuo licet Domino, per oculos animum vulnerent: eant in anathema oblivionis; timeo occasionem, ne me vitius Holofernes, etiam mortuus vincat.

O occasionistæ! occasio facit furem. Occasio mali, habet vires prodigiosas. - Hinc S. Bernard. Ser. 66. in Cantica ait: *majus miraculum est inter vehementes occasiones non cedere, quam mortuos suscitare.* Facilius adhuc mors reddit mortuos suos, quam vehemens occasionis diabolus relinquat animam incorruptam.

Job. I. ¶. II. Extende paululum ma-^{131.}
num tuam, nisi in facie benedixerit tibi.
 Cur Diabolus petit manum DEI extendi in Job, & non potius rogat sibi eum tradi cruciandum? ¶. Quia noverat Diabolus in se expertus virtutem, & potentiam vindicis Manus DEI: sciebat vires suas in castigando, viribus DEI infinitè inferiores; & ideo non petebat sibi in manus tradi, sed ut potius caderet in Manus DEI, sciens quām horrendū sit incidere in Manus ejus. Ecce

Ecce Diabolus non vult manum mittere
in Jobum, sed petit in illum extendi Manum
DEI: & homo injuriam patiens, non com-
mittit vindictam DEO, sed ipse vindicat,
sciens illud Deut, 32. *Mea est ultio, & ego re-
tribuam.* DEI officii est nos tueri: DEI offi-
cii injurias nostras repellere: DEI officii est
nos ulcisci, fidem dedit, servabit illam: ut
quid ergo nos in officium DEI immergimus?
quod nostrum est, non facimus; quod alie-
num est temerè nobis usurpamus. Ita fatui-
sumus, ut subinde placeat jacturam potius
coeli facere, quam injuriam non vindicare.

132. *Job. i. v. 21. Dominus dedit, Domi-
nus accepit.* Cur non dixit: Dominus
dedit, Diabolus accepit, cùm ille acce-
perit? *v.* Non dixit: Diabolus abstur-
lit, quia probè sciebat Diabolum non
plus mali inferre posse, quam illi sit à
Domino permisum. Vide Aug. super
Psal. 31. ubi ait: *Non dixit Diabolus
abstulit, ne forte dicatis: hæc mihi Dia-
bolus fecit, prorsus ad DEUM tuum re-
fer flagellum tuum, quia nec Diabolus ti-
bi aliquid facit, nisi ille permittat, qui
desuper habet potestatem, aut ad pœnam
impiis, aut ad disciplinam filiis.*

Familiare est multis in Confessione Sacra-
dicere, Diabolum fecisse in ipsis peccatum,
cum

cum tamen ille, quamvis, ut canis latret, neminem mordet, nisi volentem. Sed hoc est: Nullum vitium est sine patrocinio. Unde Seneca Epist. 117. dicit: *Vitia nostra, quia amamus, defendimus, & malum excusare, quam excutere.*

Job. 2. v. 7. Percussit Job ulcere pes. 133.
simo, à planta pedis, usque ad verticem capitis. Quæritur, cum in omnibus membris Jobum cruciaverit dæmon, cur Lingvæ ejus non nocuit? ¶ DEUM non permisit lingvam Jobi cruciari per dæmonem, vel ei impedimentum fieri, ne à Laude DEI cessaret; Tum quia intentum dæmonis erat, ut Jobum inducat ad maledicendum DEO, & ideò lingvam ejus permisit illæsam, ut per eam maledicat, sed intentio non habuit successum. Si quæras, cur Uxori Job nihil nocuit? ¶ Quia Dæmon, illâ intentione Jobi, tanquam instrumento utili voluit, ut si fors ipse Dæmon efficere non posset, ut Jobum à patientia dejiceret, saltem per preces uxoris flecteretur; sicut ejecit de Paradiso primum hominem per uxorem: et voluit impedire mortem Christi, per uxorem Pilati.

134. Job. 4. v. 11. *Tygris periit, eo quod non habeat prædam.* Cur tygris perit?
 ¶ De hoc animali tradunt Naturalistæ, quod cum frustum carnis, aut aliud quidpiam suo palato gratum è sublimi arbore pendulum videt, binâ, ternâque subfultatione id appetere; at si primò, secundò, tertiove conatu non assequatur, quod prensat, statim intermittit studium, langvescit animo, & desistit à proposito, & sic perit, quod non habeat prædam.

Discat homo Christianus, non imitari tygridis naturam, dum se ad orandum componit, ut ab oratione (: etiamsi statim non audiatur:) desistat; sed persistet magis, fortiter infest precibus: clamet multum ad Dominum: non deficiat, non dimittat animum, non remittat de studio, ne pereat, ut tygris. *Vult DEUS rogari, vult cogi, vult quædam importunitate vinci,* ideo dicit: *Regnum Cælorum vim patitur, & violenti rapiunt illud. Sis in precibus importunus. Si dissimulat audire, quem rogas, esto raptor: esto violentus, ut vim etiam Cælis inferas.* Ita S. Gregor.

135. Job. 5. v. 24. *Visitans speciem tuam non peccabis.* Quæritur, quæ sit illa species? ¶ Ex Richardo de Sancto Victore in Cap. 4. Cant. dicente: *Species nostra est proximus noster, in quo inspiciimus*

cimus, quid nos sumus. Ut sciat quis, an non in facie sua sit macula, an capilli benè pexi, vestitus an rectè aptatus, consulit speculum, ut quod desit, in illo videatur. Sic proximus noster speculum nostrum est, in quo errata nonnulla, & defectus aliquos, & lapsus videmus. Ut ergo non prolabamur, bonum erit illos defectus intueri, ut fugiamus, & aliena vitia aspicere, ut emendemus propria. Si quis attendit, ubi proximus ceciderit, sciatque quomodo perierit, satis amens fuerit, si tam prælucens speculum, ob oculos habens, turpi lapsu corruerit, & monitus deliquerit, aut corrigi neglexerit. *Nimùm præceps est. qui transire contendit, ubi alium conspexit cecidisse.* inquit S. Cypr. de singular. Clericorum.

*Job. 31. v. 27, & 28. Si osculatus sum 136.
manum meam ore meo, quæ est iniquitas
maxima, & negatio contra DEUM al-
tissimum. Quæritur, quomodo osculari
manum suam sit maxima iniquitas? vi-
detur quòd nec minima sit.* v. Gentili-
les illius temporis, quô Job vivebat,
adorabant corpora cœlestia tanquam De-

os, & osculabantur manum suam in signum reverentiæ eis exhibitæ. *inquit Lyr.*
 Dicit ergo Job quasi sic: Si veneratus sum aliquando idola (:quod est gravissimum peccatum, quō D E O vero negatur debitus cultus:) manum meam osculando in signum reverentiæ eis exhibite, hæc et hæc faciat mihi D E U S.

Osculatur manum suam ore suo, qui gloriantur, & laudat quod facit. *inquit S. Gregor. Lib. Moral. Cap. 22.* Jactabundi, suorum operum tubicines, opera sua externè, moraliter adorant, & propter opera, manum. Huc revocantur & capitosi, qui duntaxat dictamina sui Intellectūs, tanquam oracula respiciunt, neque ab his ullatenus recedunt, sed colunt judicia suorum intellectuum, & in signum reverentiæ eis exhibitæ, osculantur manum suam.

137. *Psalm. 7. v. 15. Ecce parturiit injustiam, concepit dolorem.* Quomodo hic ordo perverti videtur, ut conceptione prior sit parturitio? *v. Ex S. Basilio,* qui dicit: *Ordo significantissimè explicat, cordis conceptionem.* Magnò mysteriō factum, quod Propheta, dum culpæ nativitatem describit, contrarium ordini, quo nasci viventia soleant, ostendat. Nam omnia animantia priùs concipiuntur, quam

quām in lucem edantur: culpæ verò generatio, tam subitanea est, ac momentanea, tamquè facile, & leviter perficitur, ut prius nata, quām concepta antè perfecta, quām inchoata videatur.

Hac re admirabiliter exprimitur, quanta sit ad perpetrandum scelus, hominis promptitudo, ut ipsum partum conceptio sequi videatur. Hinc est, quod homo tam sic dexter, tamquè propensus ad māle agendum, tam velox, & acutus ad vitia: tam proclivis ad vana, & noxia, ut illi sit idem videre mala, ac condiscere. Intra pauculas horas omnibus numeris absolutus Magister evadit, vix què pedem intulerit scholæ vitiorum; quando illicò facultatis peccandi Doctor inaugari possit. O tempora! ô mores! ô mores! ô res! ores, ut sint meliores.

Psalm. 28. v. 9. Vox Domini præparat rantis cervos. Quomodo præparat?
R. Hic per Vocem Domini intelligi tonitrua, quod est tonatio Domini, per quam horrifono fragore peiterrefaciens prægnantes cervas ad partum præparatas obstetricatur, quæ alioquin sine grandi terrore difficile parerent.

Causas naturales sæpè ordinat DEUS ad peccatorem terrendum, sed tamen nullus subinde timor DEI, ut ad frugem meliorem re-

deat, qualis duritia cordis! quanta mentis cœcitas! Nimirum enim se fallunt homines, qui, quæ summō Divinæ providentiaæ consilio fiunt, casu fieri putant. DEO nihil forruitum.

139. *Psalm. 38. v. 7. Verumtamen in imagine pertransit homo, sed & frustra turbatur. Quæritur, quæ sit illa imago, in qua homo pertransit?* ¶ Prædictis verbis Prophetam testari voluisse, omnia mundi bona, uti sunt opes, honores, sanitas, robur &c. vana esse; & fluxa, & non esse vera bona, sed imagines, & umbras rerum bonarum; & ideo frustra turbari homines, cum ista vel non possunt acquirere, vel acquisita coguntur dimittere. Ecce! *mendaces filii hominum in stateris.* Psal. 61. Quid est, esse mendacem in stateris? ¶ In stateris, idest in suis judiciis, & electionibus, ac decipere seipso, quia nolunt in rectæ rationis judicio, quasi in statera appendere, & examinare, quam vana sint bona mundi hujus, & quam vera, & stabilia bona cœlestia; ut scilicet, eligerent bona permanentia, & contemnerent bona citò transeuntia, vel potius imagines, & umbras rerum bonarum, seu cœlestium.

Psl.

Psal. 40. v. 9. Verbum iniquum con-140.

stituerunt adversum me. Alia versio sic
habet apud Hug. Card. *Verbum diaboli*
constituerunt adversum me. hoc est: Ver-
bum, quod mihi dixerunt, tale est, ut
planè credam ab ore diaboli processisse.
Et quod illud diaboli verbum? R. Ne-
quaquam moriemini. inquit Hugo, &
modo per adulatores, qui sunt organa
eius, dicit: *Nequaquam moriemini.* be-
nè potestis modo bibere, & comedere:
vos estis adhuc juvenes, quando senue-
ritis, tunc facietis pœnitentiam, eja er-
gò hilariter agite, animo indulgete, mun-
dò per floridam ætatem fruimini, habet
Iuum pœnitentia tempus reliquum, DE-
US est Pater misericordiarum, & sub
ultimam vitæ periodum vos exaudit, ut
Latronem exaudivit; de talibus, talia
loquentibus dixit David: *Verbum dia-
boli constituerunt adversum me.*

O peccator! statim à perpetrato peccato,
ab accepto vulnere animæ, curu veloci pete
remedium, procura medicinam, & quā po-
tes perniciitate contendere ad fontem ialutis.
Nam à primo rationis usu, a rudibus pueri-
tiæ annis initium facere peccandi, & pœni-
tentiam rejicere in occasum vitæ, idquæ ex

præsidentia nimirum bonitatis, & misericordiæ DEI; velle in uno illo exspirantis animæ momento facere, quod totis effluxis annis nunquam factum, aut etiam captum est, conari aliquid, est moraliter impossibile. Dixi: moraliter, nam scitur articulum Fidei esse, hominem donec vivit, absque remedio, non esse.

141. Psalm. 54. v. 9. *Exspectabam eum, qui salvum me fecit, à pusillanimitate Spiritus, & tempestate.* Quæritur; quare expectavit, & quid? R: Dum David elongaverit fugiens, & manserit in solitudine, tanquam loco secretissimo, putabat magnâ se pace posse perfrui, & liberum ab omni hoste, à quo impetatur; & appetitu, à quo impugnetur; sed tamen, & ibi habebat tempestates, ideo dicit: *Exspectabam eum, id est DEUM,* etiam hic in solitudine, qui me, alibi sœpè, *salvum fecit.* Quia, ut inquit S. Paschafius Lib. 4. in Cap. 4. Math. *Necdum iu solitudine liberum se intelligit à periculo, dum adbuc se flagitat liberandum.*

Docemur per hoc, etiam si aliò, & aliò nos recipiamus, hostem nos semper à tergo babere, hostem inquam, qui est Diabolus. Dignè aliquis discederet, si eo ire posset,
ubi

ubi eum diabolus invenire non posset, ut loquitur Faust. Rhegiensis Serm. 2. Non satis est mutare locum homini, qui invariatus servat vitæ mores, hinc de talibus dicebat Horatius: *Cælum, non animum mutant, qui trans mare currunt.* Optimum ab hoste effugium est vitæ ianctioris studium, & pravorum morum, qui te bellō cruentissimō infestant, correctio.

Psalm. 60. v. 9. Reddam vota mea die in diem. Quid est hoc: de die in diem? *v. 9.* Hoc est, inquit Hugo: non semel tantum, vel ad horam, sed de die in diem, id est assiduè, & cum perseverantia. Hoc verbo Davidicō commonemur perseverantiæ in suscepto DEI servitio, *v. g.* Religiosi, in statu Religioso; ne ullà unquam die vitæ præsentis deficiamus à votorum, vel promissionum nostrarum impletione; sed ut semita conversationis nostræ quasi Lux splendens à primo die ingressūs in ordinem, crescat in perfectum diem felicis æternitatis. *Mementote diei hujus, in qua egressi estis de Ægypto.* Dies, quā Religiosi egressi sunt de Ægypto, est bona voluntas, quā educuntur de sæculo; hujus semper meminisse debent,

ut à fervore illius non recedant: Sic reddent vota de die in diem, de die primo suæ conversionis, sumpta forma, eaque applicata in diem quacunque vi-
tæ posterioris.

143. Psalm. 64. v. 12. *Benedices coronæ anni benignitatis tñæ.* Quid est, quod non Mensibus, non Hebdomadibus, non Diebus, non Horis. Sed Anno tantum benedicitur, cùm tamen Annum hunc di-
es virtutum faciunt, (: dies verò hujus Anni sunt singulæ quæque virtutes:) cur non eis, sed soli anno præmium pro-
mittitur. v. Quia tametsi singulæ vir-
tutes suam remunerationem habeant, ta-
men absque perseverantia coronam con-
sequi non possumus; idcirco anno pro-
mittuntur benedictiones, quia ille est fi-
nis pugnæ, terminus laboris, exitus vi-
giliarum, clausula fatigiorum. Nam fu-
isse pius, & virtutis studiosum uno
Mense: fuisse una Hebdomada sanctum,
una Hora castum, humilem, sobrium,
patientem, &c. parum prederit, nisi in
finem usquè vitæ perseveremus in illis,
quia, qui perseveraverit usque in finem,
ille salvus erit. Matth. 10: v. 22. Quæ
utili-

utilitas seminum florentium, & postea tabescentium?

Psalm. 68. v. 32. Et placebit DEO,^{144.}
super vitulum novellum cornua producen-
tem, & ungulas. Quæritur, quid my-
sticè hoc significet? ¶ Richardus, hoc
exponit de his, qui rudibus teneræ æta-
tis annis DEO se offerunt. Hi tanquam
vituli novelli, cornua parvula primarum
cogitationum proferunt, quæ usus ratio-
nū ad DEUM dirigit. Per ungulas,
quas etiam producunt, intelliguntur pri-
mi passus, quibus ad officia DEI acce-
dunt. Quisquis ergo ad DEI servitu-
tem primulis ætatis annis accesserit, &
DEO cogitationes suas, passusque fu-ros
omnes consecraverit, ei erumpere
cornua, & prodire ungulæ incipiunt.
Scito tamen, quòd etsi omnium virtutum
adeptus sis principium, non per
hoc in conspectu DEI appares gloriosus,
nisi virtutum consumatrix adsit perseve-
rantia. ut paulò ante dictum est.

Psalm. 72. v. 23. Ut jumentum factus^{145.}
sum apud te. Quare, ut jumentum?
 ¶ Jumentum est symbolum ejus, qui
 propriam perfectè novit ab negare vo-

luntatem. Hinc quia David divinæ beneplacito voluntatis, se subjecit in omnibus adversitatibus, dicit se, ut jumentum factum.

Abjectum, & humile jumentum nullam habet propriam electionem, nec loci, nec temporis, nec personæ, nec oneris imponendi; non loci, nam si foris alliges in platea, manebit ibidem, obnoxium licet irrisionibus, & punctionibus puerorum: Si in stabulo, manet; si in agro, similiter. Nec temporis; nam manè. vel vesperi paratum est. Nec personæ: nam puer parvus minabit illud, & ancillam sequi non dignatur. Non denique habet oneris imponendi electionem; nam surum impone, portabit, simum impone, non recusabit. Quid ad hoc inobedientes, & proprium velle sequentes?

146. Psalm. 74. v. 9. *Calix in manu Domini, vini meri plenus mixtō.* Quis sensus hujus Calicis? ¶ Hoc de ira DEI sub metaphora calicis intelligi, ex quo calice omnes, qui sanctissimam Legem illius transgrediuntur, bibituri sunt. Habet enim DEUS in ultrice manu sua calicem vini fumei, validi, ebrii, sed mixtum aquā misericordiæ ad temperandam ejus fortitudinem, & rigorem, ut castigatio sit minus dura, & ex hoc iræ calice

calice ita mixto, & temperato aquâ benignitatis, bibent omnes peccatores terræ.

DEUS ingrediens vineam Animæ, & non inventis ibi, nisi amaris malitiæ botris, eos calcat, & conterit, ac è malignis hujusmodi fructibus, iræ suæ vinum exprimit, & hauriendum peccatoribus porrigit.

Cum dentur peccatores terræ, an eti-¹⁴⁷
am sequatur dari peccatores cœli? ¶
Sequi secundum S. Gaudentium Ser. 8.
Tit. 2. Et quinam sunt peccatores terræ, & cœli? ¶ Ille dicit eos peccatores terræ, qui DEUM, quem ignorant, cujusquè Leges nesciunt, offendunt. Peccatores cœli sunt, qui DEUM cognoscunt, sed provocant, & sive jugum mandatorum ejus contumaci cervice abjiciunt. Hi profecto purum calicem bibent, & atrocissimos cruciatus subibunt. At calix peccatorum terræ, miscebitur aquâ clementiæ. Quàm malum est, esse peccatorem terræ! sed quàm pessimum, & infelicitatum infelicissima esse peccatorem cœli!

Psalms. 77. ¶ 26. Translulit austrum de¹⁴⁸
Cælo, & induxit virtute suâ africum.
H 5 Quid

Quid Propheta per hoc significare vult?
 ¶ Transtulit, id est: abstulit austrum
 de Cœlo, & non permisit, ut tunc fla-
 ret, sed ejus loco induxit virtute, &
 potentia sua affricum, qui ab Ægypto
 afferret cothurnices ex partibus Septem-
 trionalibus Africæ, & Ægypti, & hoc
 est, quod dicit Scriptura: *Pluit super Is-
 raelitas sicut pulverem carnes, & sicut
 arenam maris volatilia pennata.* Psalm.

77. ¶ 27.

Nihil à D E O petendum, quod est con-
 tra rationem salutis; nam iubinde dat, sed
 iratus. Dedit Israëlitis carnes, & dum in
 ore illorum essent, venit ira D E I super eos.
 Psalm. 77. Idem populus pro ritu aliarum
 Gentium petiit sibi Regem; & hunc D E U S
 concessit, sed iratus. Committe te provi-
 dentiæ divinæ, non tuo judicio.

149. Psalm. 77. ¶ 50. *Viam fecit semitæ iræ
 suæ.* Qualiter ex semita iræ suæ fecit
 viam? ¶ Viam fecisse semitæ iræ suæ,
 tale est, ac si dixisset: Dilatasse, &
 amplificasse furorem suum: aggravasse
 flagra, exaggerasse supplicia. Rana
 namquæ, muscæ, & versa in sanguinem
 aqua. &c. velut semita exiguae iræ, &
 modici rigoris erat; at cum percussit o-
 mne

mne primogenitum in terra Ægypti, hoc Prophetæ fuit, amplam, spacioſamque viam iræ ex semita fecisse. Hoc interest inter semitam, & viam, quod illa angusta, hæc lata, & ampla sit.

Mirabilis, & profunda DEI misericordia, quā te non permisit mori, cum iturus eras ad inferos, & non fecit in te viam iemiæ iræ suæ, qui tot alios in gravibus peccatis ad æterna supplicia abripi permisit.

Psalm. 77. v. 69. Aedificavit sicut unicorū. cornium sanctificium suum in terra. Tex-
tus iste intelligitur de Messia venturo.
Sed quid mysterii habet, locum habita-
tionis Messiae talem fore, qualis esset
habitatio, quam sibi unicornium constru-
ere soleat? *R. Hugo Card. in exposi-*
tione illius Psal. sic dicit: Notandum
est, quod unicornis non habet tectum,
nisi cœlum, & reclinatus ad arborem
dormit. Sic Verbum Divinum humanâ
carne vestitum, nec domum habens, nec
fortunæ bona, de se verissimè dicere po-
tuit, Math. 8. v. 20. Vulpes foveas ha-
bent, & volucres cœli nidos, Filius au-
tem hominis non habet, ubi caput recli-
net. Quamquam caput sit hominum, &
Angelorum. Quid

Quid nos ista Christi, & Unicorns pauperitas docet? nisi, ut pauperis Christi vestigia sequamur, & non amplificandis opibus studeamus. Regnum Cælorum paupertate emitur, inquit S. Aug. de Verb. Dom. & illud jure emptionis competit pauperibus; quia ipsi propriè solvunt pretium, quod taxavit Christus, dicens: *Omnis, qui reliquerit domum, aut agros.* &c. Cæterum ingens pauperum dementia est, si æquè gratiâ intus sint vacui, quām foris pecuniâ.

151. Psalm. 87. v. 13. *Nunquid cognoscuntur in tenebris mirabilia tua, aut justitia tua in terra oblivionis?* Quæ illa terra oblivionis? v. Terram oblivionis ille inhabitat, qui nunquam ferè seriùs per omnem vitam de DEO, & salute sua cogitat: qui nunquam ad se ingreditur, ut intra se rationem sui ineat, & dicat: quis me condidit? ad quid condidit? quis author, & quis finis vitæ meæ? quid feci? in quæ vitam, & annos expendi? quis me exitus manet? quæ fors post hanc vitam? si vix unquam talia, aut certe nunquam seriò cogitas, in terra oblivionis tanquam civis habitas exul, & peregrinus cæli futurus, nisi te emenes. *Cogita unde veneris, & erubesce: ubi sis, & ingemisce: quo properas, & pertimesce.* S. Bern. Psal.

Psal. 103. v. 11. *Expectabunt onagri* 152.
in siti sua. Quid habent expectare in si-
ti sua? *v.* Ex Raulino; cum anima] hoc
limpidissimos fontes amet, ut nihil
magis; fontium undas lutosas, ac turbid-
das reperiens, potius sitim perfert, do-
nec subsidente luto, aquæ perlucidæ fi-
ant; ideo dicuntur expectare in siti sua.

O Homo! si sitis, noli turbidam pecca-
torum aquam bibere, expecta; vult nos
DEUS semper hic sitire justitiam, ut in fu-
turo satiemur retributione justitiae. Pecca-
tor bibit aquam turbidam, velut camelus,
qui priusquam bibat, aquam pedibus turbat:
cum enim sit animal gibbosum, turpe, & stu-
pidum, cavet, ne deformitatem suam videat.

Psal. 103. v. 18. *Petra refugium He-*
rinaceis. Quale petra refugium Herina-
ceis? *v.* Quia cum Herinaceus partus
tempore, catulorum aculeos sentiens,
parere tardet, & partum differat, quo
plus differt, plus invalescunt hirsutæ ca-
tulorum cuspides, ut proinde ingentes
Matri afferant dolores; quos dum ferre
non sustinet, subit petrarum rimas, &
in illis petrarum angustiis, ut diuturnam
pungentium aculeorum molestiam, uno
dolorum compendio redimat, partum vi-
elidit. *Quid*

Quid fiet tibi, si non citum quæris tuis
malis remedium, sed tardas pœnitentiæ assu-
mere medicinam? si hodie cecideris, hodie
surgere debes. Si hodie ægrotare cæperis,
hodie, ut convalescas, curare debes; secùs
invalecent hirsutæ peccatorum cupidæ, &
mortem æternam animæ tuæ inferent. Verè
dicit Poeta: *Vivendi recte fatuus procrastinat
horam.* Peccatum est animi morbus venena-
tus, & acutus; venenata, & acuta inducias
non patiuntur, inquit Cornelius Celsus Lib. 7.
Cap. 5. Cavendum ergò, & fugiendum ci-
tò, quod nocet citò.

154. Psalm. 109. v. 1. *Dixit Dominus Do-*
mino meo, sedē à dextris meis. Cur Fi-
lius DEI dicitur sedere à Dextris DEI
Patris? ¶ Quia sedere significat potes-
statem judiciariam. *Dedit autem Pater*
omne Judicium Filio. Joan. 5. v. 22. Sed
cur non dedit Spiritui Sancto, & dedit
Filio? ¶ Causa est, quia Filius pro-
cedit per intellectum, & est *Verbum*,
quod est ratio Patris. Dedit ergo Pater
judicium Filio, & non Spiritui Sancto,
quia in Tribuali sedere debet ratio, &
intellectus, non verò amor, & affectus;
nam eadem portâ, qua in Senatum affe-
ctus ingreditur, justitia egreditur.

Videant ergò Judices, ne in Senatu de
pecunia

pecunia cogitent, & unum cum affectu mar-
suum habeant; profectò pro tali moneta
non vendit DEUS Cælum. Quō die cresce-
re domi Judicis divitiæ cæperint, eodem die
minui incipit Justitia. Quid facient Leges,
ubi sola pecunia regnat; Aut ubi paupertas
vincere nulla potest?

Psalm. 117. v. 22. Lapidem, quem re-155.
probaverunt ædificantes, hic factus est
in caput anguli. Quæritur, quis ille
lapis reprobatus? *v.* Tradi in historia
scholastica teste Pelbardò, quòd dum
Templum Salomonis ædificaretur, fue-
rit lapis quidam frequenter positus in o-
mni ædificio, qui nunquam inveniebatur
aptus, sed aut nimis curvus, aut lon-
gus erat, propter quod rejectus fuit,
& reprobatus. Verum in consummatio-
ne muri, pro copulatione angulari duo-
rum parietum, inventus fuit aptissimus,
quod pro marabili reputatum est.

Hic Lapis figuravit Christum Dominum,
quem reprobaverunt Sacerdotes, & Scriba;
sed in Resurrectione factus est in caput an-
guli, copulans in unam Ecclesiam duos pa-
rietes, Judaicum scilicet populum, & Gen-
tilem.

Psalm: 118. v. 64. Misericordiâ Domini 156.
plena

plena est terra. Cur non dicit: Misericordia Domini plenum est Cælum? ¶ *Quia*, ut inquit S. Ambrosius in hunc Psalmum: licet auxilio Domini fulciantur etiam Cœlites; tamen non tantâ ejus indigent Misericordia, quantâ ea, quæ sunt inferiora, ac terrena. Non enim illi carnis involucro vestiuntur, in qua est frequentis erroris illecebra. Hac Doctrinâ docemur majori auxilii efficacitate iis succurrendum, quos adjutorio magis indigere videimus.

Misericordiâ quidem DEI plena est terra, sed proh dolor! agimus, & spe tantæ Misericordiæ innixi ostendimus, quam imprudenter hanc Misericordiam in nostrorum criminum instrumentum convertimus, & quæ abolendi peccati nobis esset stimulus, peccati inferos annos continuandi, matrem efficimus. Magis quodammodo DEI Misericordia timenda est, quam ejus justitia; qui enim Iustitiam offendit, habet pro Asylo Misericordiam, quo confugiat: qui autem Misericordiam offendit, ad quam Aram se recipiet?

157. *Psalm. 138. v. 12. Quia tenebræ non obscurabuntur à te, & nox sicut dies illuminabitur.* Quando nox lucida, ut dies? ¶ *Sensum hunc esse: peccata repro-*

reproborum (:quæ in Scriptura dicuntur tenebræ, & nox) non poterunt obscurari, vel abscondi; sed sic illuminabuntur, ut ab omnibus distinctissimè in extremo Judicio videri possint.

Nunc, dum peccamus, ne ab uno quidem homine malum nostrum videri volumus, & tamen tunc a toto mundo videri modo non curamus. Ubi tunc latebis? ubi apparebis? latere erit impossibile, apparere intolerabile inquit S. Anselmus.

Psalm. 140. v. 3. Pone Domine custodiam^{158.} ori meo, & ostium circumstantiæ labiis meis. Quæritur, cur ostio, & non muro sibi labia claudi Propheta rogavit? ¶ Quia, ut habet Hugo Victorinus in Libro de Claustro animæ: Ostium dixit, non murum, si enim murus poneretur, licentia loquendi negari omnino videretur: sed ostium ponitur, quod loco, & tempore suo clauditur.

Vide quanta mala, & incommoda parere effrænis lingua, quantumque præcipitare fera illa bestia homines alioquin moderatissimos, & modestissimos soleat, nisi Dominus custodiam posuerit ori, & ostium labijs. S. August. Lib. 2. de visit. Infir. sic dicit: *Ostium & aperitur, & clauditur: aperitur ad Confessionem peccati, clauditur ad excusandas excusationes in peccatis.*

159. Proverb. 10. v. 26. *Sicut fumus oculis
sic piger his, qui miserunt eum.* Pecca-
tores fumo comparantur, sed quare poti-
us cuin fumo, quam re alia? *R.* Quia
conditio fumi hæc est, ut contra adver-
sum ventum validius nitatur, & per eam
viam erumpere pertinacius velit, quam
flamina maximè obstruunt, & interclu-
dunt.

Fumum imitantur homines, subditi impi-
mis, ut obſſentibus iuperioribus, vehe-
mentius repugnat, & quod illi vetant fieri,
hoc facere ardentiū cupiant, tanquam ipsa
prohibitio sit illicium, illiciti operis, &
interdictō magis inardescat animus ad vetita.
Recte dixit Aug. Lib. 13. de Civit. Cap. 5.
*Ipsa prohibitio Prælatorum auget desiderium operis
illiciti.* Quod non licet, dulcius est.

169. Prov. 11. v. 21. *Manus in manu,
non erit innocens malus.* Quid est manum
in manu esse? *R.* Manum in manu esse,
significat hominem otiosum; apud homi-
nem laboriosum, est manus extra ma-
num: homo laboriosus digitos digitis
non inserit, sicut otiosus, qui manum
in manu habet, talis non est innocens,
sed malus.

Homo

Homo non potest à nocentiori malo exag-
tari, quam ab otio; qui hōc morbō laborat,
certissimum est, quod vel jam detecerit a
Dēo, vel paulo post deficiet. Et cui pro-
dest otiosus? nulli, quinimo nocet. Hinc
dicebant antiqui Monachi: Utilior est in Mo-
nasterio porcus, quam Monachus otiosus:
Nam porcus manducando, & otiando proficit,
& sibi, & Monasterio, ille autem mandu-
cando, & otiando, Monasterio suo officit,
& in nullo proficit, nisi in vitiis quotidie,
& est pondus inutile terræ.

*Prov. 11. v. 26. Qui abscondit frumen-
ta, maledicetur in populis.* Quid est ab-
scondere frumenta. ut abscondens male-
dictionem incurrat? *v.* Sensus esse, qui
tempore famis frumentum abscondere,
vel coēmere solent, ut crescente fame,
carius illud vendant, illis maledicuntur in
populis, quia tunc faciunt, ut crescat
frumenti pretium, & hinc pauperes fa-
mem patiuntur, & subinde pereunt.

Sensus Mysticus est ex S. Hieronymo in hæc
verba excurrente: *Frumentum, quid aliud si-
gnificat, quam Verbum Divinum?* Sacra Scri-
ptura alimentum est, quo nutriuntur animæ. Qui
populos alere potest, qui eos erudire, & lumen
& Salutem conferre novit, & hoc negligit, cui
ex officio incumbit, vae ei, nam omnes Dei, &
hominum maledictiones se in ipsum effundunt.

162. *Prov. 16. v. 18. Ante ruinam exaltatur Spiritus.* Quid Salomon per hoc intendit? *v.* Hoc, quasi diceret: Antequam quis grave malum subeat, quando conteratur, confringatur, & evertatur, solet praेire ejus superbia, & ambitio, quā se se extollit, ut alijs dominari velit; hanc enim Deus sternere, & confringere solet.

Neminem fert Deus in superbia gradientem, quem non demum è sublimi cogitationum throno dejiciat. cum ergo senteris in mente elationem quampliam, tumorem, & fastum, scito, hoc esse signum, instare tibi casum, & ruinam: sicut enim fumus signum est proximi incendij, sic elatio signum est proximæ ruinæ; lapsus enim & ruina, est individuus superbiæ Comes. Dices: etiam humiles, & Sancti viri subinde nutu Dei affliguntur, & deprimuntur, apud quos non præcessit superbia *v.* Ipsos quidem quandoque affligi, & deprimi, at non ut ruant, & conterantur, sed potius ut exaltentur. Eadem ergo calamitates justis sunt merita. & Coronæ: superbis verò sunt demerita, & supplicia, quia illis ad virtutis, & gloriæ augmentum; his ad tormentum a Deo irrogantur.

163. *Prov. 21. v. 17, Qui amat vinum, & pinguia, non ditabitur.* Multi utraque amant

amant, & divites sunt; quomodo ergo textus verificatur? ¶ Dives, si opiparis mensis, & gaudiis conviviorum indulget, in illaque tempus, & opes profundat, iis exhaustis ad egestatem redigetur. Pauper vero, qui ditari satagit, quamvis multum laboret, tamen non ditabitur, si labores suos in vino, symposijs decoquat, & consumat. Itaque non absolutè Salomon infectatur vinum bibentes, & pinguia amantes, sed eos, qui hæc diligunt, ut cor, & mentem iis affigant; hi enim intemperanter ea sectantes, consumunt, amittuntque divitias præsentes, & æternas.

Scientiam popinæ professi, sæculum inficiunt, ut infecit Apicius, teste Senec. Quid fecit Apicius? Dicam. Ætatis suæ homines omnes, totum adeò mundum corrupti, & vitiavit iis documentis, quæ de re culinaria, & cibis ad luxum apparandis, totaque liguriendi arte, turpis lurco, & contaminatissimus Popino tradidit. Quæ enim pestis tam exitiosa domibus alia, tam perniciabilis Rebus publicis, tam noxia totis Regnis, ac heluatio, & intemperanter victitandi consuetudo? Hæc sunt, quæ homines depravant, hæc, quæ mundo interitum adferunt.

Prov. 23. v. 1. §. 2. Dum sederis, 164.

*ut comedas cum Principe, statue cultrum
in gutture tuo. Quis ponet cultrum in
guttura suo? ¶ Sensum esse, quasi di-
ceret: vide quanto in periculo versari:
existima gutturi tuo cultrum imminere.
Facile enim Principes irascuntur, & eos,
qui aliquid, quod displicet, vel faciunt,
vel dicunt, morte afficiunt.*

Moraliter: Mundus iste, veluti Princeps apponit tibi escas: sed earum finem attentò animò contemplare, quantum immixti veneni habeat, & quam infelicem exitum, convivium ejus fortiatur, diligenter explora. Statue cultrum in gutture tuo, idest: Cupiditatem rerum caducarum, acutò transfige gladiò, ne mundi vinò, epulisque, hoc est opibus, honoribus, voluptatibus inhiet.

165. *Prov. 25, v. 16. Mel invenisti, co-
mede, quod sufficit tibi. Quis nucleus
hujus nucis? ¶ Per mel divitias posse
intelligi, docet Cornelius à Lapide, ut
velit Salomon dicere: Congrega opes,
quæ satis sint ad tuam, tuorumque ne-
cessitatem, plura verò appetendo, non te
alliciat dulcedo divitarum, oberunt enim
saluti animæ tuæ: sicut abundantior mellis
comestio officit corporis sanitati. Sed
proh dolor! nunc divitarum amor insa-
tiabi-*

tiabilis est, expleri nescit honorum cupido, & velut ignis, nunquam dicit: sufficit. Sanguisugæ duæ sunt Filii dicentes: affer, affer.

Prov. 30. v. 1. Verba congregantis, 166.

Filiu vomentis. Ecce cortex! sed ubi nucleus? *v.* Nomine *congregantis*, significari eum, qui multam sapientiam, multasque doctas sententias partim studio partim usu, & experientiâ, partim revelatione divina collegit. *Filius vomens* designat eum, qui satur est, & epulis repletus, nempè divinis illustrationibus adeò plenus, ut eas eructet, & in aliorum usus evomere cogatur. Ille verè docet, & verus Doctor est, qui specimen imprimit, & lumen infundit, & virtutem dat cordi audientis; & hinc est, quod cathedram habet in Cœlo, qui intus corda docet.

Prov. 30. v. 17. Oculum, qui sub- 167.
sanat Patrem, effodiunt eum corvi. Quare potius oculis, quam alteri corporis parti pœna decernitur, cum sint, & alia membra, in quibus talis impietas plecti possit? *v.* Quia si ignotos luderent,

contemnerentque Parentes, levior eorum noxa foret: quod verò eos rident oculis, quibus vident, id eorum exagerat malitiam, hinc effodiendos per corvos precatur oculos eorum, qui tam sunt impudentes, tamque inverecundè audaces erga Parentes, quos vident, ut aspernari, & spernere non erubescant. Culpas, & prolapsiones de imbecillitate, aut ignorantia natas, facilius Deus condonat, quam ex industria, vel meditatè, profectas.

168. Eccl. 4. ¶. 2. § 3. Laudavi magis mortuos quam viventes, & feliciorum utroque, qui necdum natus est. Cur melior conditio utriusque præ conditione viventis? ¶. S. Ambr: Oct. 18. in Psal. 118. sic dicit: Mortuus præfertur viventi quia peccare desit; mortuo præfertur qui natus non est, quia peccare nescit. Qui nescit, quid sit peccare, nescit, quid sit esse infelicem, propterea ille vere infelix est, qui vivit, eoque nomine beator illo, est mortuus, jam enim cessavit peccare.

O quanta miseria est peccare! ut nec Salomon invenire potuerit, unde ceteret hominis-

minis felicitatem, nisi inde, quod vel peccare nequiret, vel quid sit peccare ignoraret. Unus solum inimicus est, quem timere debemus, puta peccatum, & unum tantum, quod sperare, & est Gratia Dei. Hæc est totius politiæ Christianæ summa, his enim duobus polis omne bonum, malumque nostrum nititur.

*Eccl. 5. v. 5. Ne dederis os tuum, 169.
ut peccare facias carnem tuam. Quis est
hic cui loquitur Salomon? v. Salomo-
nem loqui ad illum, qui leviter dat os
suum promittendo, non diligenter exa-
minata præviè materia promissionis. Un-
de non raro contingit, ut se se in præ-
varicationis voti, peccata præcipitet.
Cui dicitur in eodem cap. v. 4. Multò
melius est, non vovere, quam post votum
promissa non solvere. Nam, ut volun-
tatis fuit vovisse, ita necessitatis est
persolvere, quod voveris. Ruina est
homini devorare Sanctos. Prov. 20. v.
25. Sic devorat Sanctos, qui præceps
temere quid vovet, & post votum sen-
tiens voti difficultatem, vel impossibili-
tatem, illud retractat, & cogitat, quo-
modò ab illo se valeat expedire, Sicut,
qui devorat cibos non masticatos, one-*

rat stomachum, & cogitur concoquere quod potest, quod non potest, evomendo rejicere.

170. *Eccl. 8. v. 14.* *Sunt impii, qui ita securi sunt quasi justorum facta haberent. Quomodo securi?* ¶ Hoc intelligi de peccatore recidivo, qui tractu temporis dum post iteratas recidivas, in profundum peccatorum venit, in eorum voragine mersus, ita securus est, ac si iustorum facta haberet, ita: ut jam peccatorum occasione asvefactus, nec ductum rationis, nec conscientiae remorsum curet, quasi nec Deus, nec infernus esset, tamque parum curae sit illi evitare peccatum, ut illud etiam cum risu committat. Nullum scelus diuturna felicitate exultavit nec tuum flagitium proximas tibi ferias indulgebit.

171. *Eccl. 11. v. 2.* *Da partem septem, nec non, & octo.* Quid Salomon per partem septem, & octo intendit? ¶ Sensus est, quasi diceret: Panum, & opum tuarum partes eroga liberaliter in pauores, & da eleemosynam septem, idest: multis, nec non, & octo; idest: multo

plu-

pluribus indigentibus. Quasi diceret: Da quot, quantisque potes. Vere S. Hieronymus ad Nepotianum dixit: *Nunquam me memini legisse mala morte defunctum, qui libenter opera charitatis exhibuit.*

Multi sunt, qui quod pauperibus erogant, inviti largiuntur, & a se cum stomacho abiciunt. Tot adhibent cautiones, tot movent quæstiones V. G. quare non laboras? cur te ipsum non juvas? cur manibus non lucraris unde vivas? ecce! exigua dabit, & multa improperabit. Eccli. 20. v. 15.

Cantic. I. v. 5. *Filiī Matris meæ*^{172e} *pugnaverunt contra me: posuerunt me custodem in Vineis.* Quidnam Filii Matris mali per pugnam intulerunt? *Posuerunt me custodem in vineis.* Quid est sponsam posuisse custodem in vineis? Hoc nihil aliud esse, quam commendasse illi Provinciam curandarum animarum: ergo illud est bellum, oppugnatio, & prælium? Ego dicerem esse honorem, esse dignitatem, esse majestatem; quid ergo sponsa se oppugnatam, & bellò cruento appetitam dicit? Causa est, quod sponsa tali loquendi modo usa fuerit, ut exprimeret, quid sit aliis ex officio præesse

esse : Honores , & officia , non esse (ut multi opinantur) Præfecturas , sed esse ærumnas , quæ quidem videntur dignitates , & non sunt , nisi calamitates : Prælati hanc à summo Rege habent facultatem , ut nunquam dormire , quiescere nunquam possint ; tota enim curarum agmina illos invadunt , quæ somni possessionem interpellant , omnemque voluptatem , velut injectu fellis reddunt amaram .

173. Cant. 3. ¶. I In lectulo meo quæsivi quem diligit anima mea , quæsivi illum , & non inveni . Quare non invenit ? ¶. Quia lectus , qui est locus somni , & quietis , in Sacris Literis , est Symbolum voluptatis , & deliciarum ; quòd ergò sponsa quæsisse sponsum in lecto , sed non reperiisse dixit , hoc fecit , ut nos suò malo sapere , & esse cautiores doceret .

Perditur DEUS in otio , & usu intemperante præsentium deliciarum , & studio corporearum voluptatum : si in eodem lecto & otio illum requiras , non facis , quò reperias , sed quò magis mittas , qui enim Deum perditum requirit , non ibi invenit , ubi perdidit . Si in popina Deum amisisti , non ibi , etsi
quæ-

quæsieris invenies. Si in Domo Iusſus perdidisti, non tibi rursum quærenti occurret. Vini corrupti curatio in mutatione loci posita est, sic ut omnino pereat, nisi in celarium melius transferatur.

Cant. 5. v. 14. *Manus illius tornatiles, aureæ, plenæ hyacinthis.* Quid quæso sponsa voluit cum manibus ad tornum elaboratis? ¶ Quia, ut inquit Hugo, quasi tornō quōdam dona largitur. Sed cur sponsa manus sponsi tornu assimilat? ¶ Quia quod tornatur, paulatim fit, neque tantum longas moras requirit, verum etiam & regulam, & lineam, & perpendiculum, & circinum, & plurimam attentionem postulat. Talem ergo sponsa dicit sponsi sui munificentissimi largitatem: *Manus ejus sunt plenæ hyacinthis: sed tornatiles.* Quod perinde est, ac si dixisset: Sponsum suum esse peropulentum, prædivitem, circumfluere thesauris, eorumque erogandorum magna teneri cupiditate: ut sua tamen illis dignitas, & existimatio constet, non securus illos elargiri, ac si ad tornum elaborarentur, hoc est cunctanter, & magna cum procrastinationis industria, ut

cum

cum abunde tribuuntur, vel hoc nomine
sint magis chari, quod diuclè, arden-
tèrque desiderati, & expetiti.

375. *Sap. 1. v. 16.* *Impii manibus, &*
verbis accersierunt illam. Scilicet mor-
tem. Quinam fuerunt isti impii? &
quomodo *Manibus, & Verbis* illata mors?
v. Impii illi sunt nostri Protho-Parentes
Adam, & Eva, qui cum in Paradiso
inutiles, & perniciabiles cum Dæmone
miscerent sermones, & liberas ad fructus
vetitos extenderunt manus, verbis, &
manibus advocarunt mortem.

Per manus ingressa est mors, & per ma-
nus egredi debet, quod fiet, si illæ nunquam
ab opere corporali, neque spirituali feriatæ
fuerint. *Multam malitiam docuit otiositas* Ecli.
33. ubi otio porta semel aperitur, plurima
ibi vitia irrumpunt. Væ manibus, væ pedibus
væ singulis membris à bono vacantibus.

376. *Ecli. 5. v. 5.* *De propitiato peccato.*
noli esse sine metu. Quare non? Conci-
liavimus nobis DEUM, quid ultra for-
mideamus divinam justitiam? Siste! Simon
habeo tibi aliquid dicere. Examinastine
prius omnes Conscientiæ tuæ fibras? an
omnes sinus tui latebras investigasti? nisi
hoc factum, timendum, ne quid lateat,
quod

quod te Cœlo excludat. Narrâsti omnes peccati circumstantias ? an omnem mortalium numerum recensuisti ? si hoc non, time iterum. Compensastine subtractiunculas de diversis Proximi rebus , & nummis, & quæ præter Confessionem debes ? nisi & hoc feceris , time. Quomodo ergo de peccato possis esse sine metu , quamvis opinione tua sit iam deletum , quia Confessum , atque ideo propitiatum , ne remordeat ? quomodo tibi indubitanter Cœlum promittis ; quō semel excidisti ? Periculose sperat in D e o , qui peccat : qui per intervalla currit ad D e u m , & per intervalla redit ad diabolum ; non potest sine omni metu sperare , qui sperat in D e o absque omni metu

Eccli. 9. v. 1. Non Zeles Mulierem 177.
finus tui , ne ostendat super te malitiam doctrinæ nequam. Quid illa doctrina nequam . quam timere debet , qui zelat uxorem suam ? v. Textum illum ex Dionysio Chartusiano sic explicat Oliverius Bonartius : ne improbitatem , quam edocta est à malefiscis , sagis , & hujusmodi mulierculis , in te primū experiatur , & veneno propinato interficiat.

Non

Non est sanum consilium suspectam semper habere uxoris fidem, ac proinde omnes illius notare gressus, & passus; observare actiones, attendere verba, explorare diverticula. Fieri enim potest, ut tot agitata molestiis, fracta rigoribus, subpudfacta; & in confusionem, atque desperationem adducta, mulieres veneficas adeat & ab illa vetularum colluvie male-docta, curet, ut Maritus cum paucō cibo multam mortem sumat.

378. Eccli. 19. v. 10. *Audiisti verbum adversū proximum tuum? commoriatur in te, fidens, quoniam non te disrumpet.* Quæritur de sensu hujus S. Textus. *v.* Ex Chrysostomo sic interpretante: *Exstingue verbum malum, quod audiisti contra proximum, defodito in te, ne permittas exire, oblivione voluntaria contere, ne timeas, quod te disrumpere possit, aut nocere, sicut fætus mortuus, & non ejctus nocet Mulieri.* Arguit itaque Syracides illos, qui dum quid mali, præsertim oculti audierunt, illudque mente gerunt, non possunt illud apud se retinere, perinde ac si venenum sumplissent, & nisi ejciant, statim crepaturos se arbitran-

tur, hinc evomunt, & in occurrentes quosvis effundunt. Detractores, Deo odibiles Rom. I. v. 30. nam detractor, animarum sanguine palcitur, quas gladio Linguae necat.

Eccli. 20. v. 31. Xenia, & Dona^{179.}
excœcant oculos Judicum, & quasi mu-
tus in ore avertit increpationes eorum.
Quæritur quid mutus hic significet? *v.*
 Lyran. Dionysius Carthus. & alii dicunt, quod significatum hujus nominis mutus sit quoddam genus ranarum, quæ injectæ ori canum, reddunt illum mutum, ut docet Strabo, Isidorus &c.
 Lyran. sic habet: *Est autem mutus, quædam species ranæ, quæ projecta in os canis, facit eum tacentem, & non potenter latrare, sic Xenium datum pro subversione justitiæ, facilit Judicem tacerre, & à punitione mali cessare.* Si Judex utatur perspiciliis aureis, erratum Rei videbitur ipsi aurum, fiétque ex Judge, & Fiscali, Advocatus. Malè- res se habet, cùm quod virtute effici debet, id tentatur pecuniâ, inquit Cic. off. 2. Impossibile est quemquam, justiam, & pecuniam sequi.

180. *Ecli. 21. v. 30.* *Dum maledicit impius Diabolo , maledicit ipse animam suam Quæritur , quomodo maledicit animam suam , qui maledicit Diabolo ?* ¶ *Quia , ut inquit D. Thomas 2. 2. q. 76. art. 1. ad 4.* *Cum peccator maledicit Diabolo propter culpam , se ipsum simili ratione judicat maledictione dignum ; & secundum hoc dicitur maledicere animam suam.*

Si tu malus sis ; male de malo dicens , & judicans , male de te dicas , & judicas ; imo si male imprecaris illi , quia malus es , imprecaris , & tibi utpotè malo; *Hinc S. Paulus Rom. 2. v. 1. dicit : Propter quod inexcusabilis es ô homo , qui judicas ; in quo enim judicas alterum (quasi male agentem) te ipsum condemas.* *Id est , ostendis te esse condemnabilem , quoniam eadem agis quæ judicas in alio esse condemnabilia.*

181. *Eccl. 28. v. 16.* *Lingua tertia multos commovit. Quæritur , quæ illa tertial lingua causans commotionem ?* ¶ *Hugo Card. per Linguam primam intelligit Linguam Moysis publicantis populo Legem Digito Dei scriptam. Per secundam ; Linguam Christi enunciantis legem Evangelicam. Per tertiam , Linguam Legisperitorum , & Advocatorum profitentium declaratio-*

nem

nem Legum Civilium , & humanarum. Hæc tertia Lingua multos commovit , qua propter avaritiam quorundam Advocatorum multæ causantur rixæ , discordiæ , & lites. Vel tertia lingua vocatur , quæ seminat discordias , est enim tertia , seu media inter linguas eorum , quos discordat. Lyran.

Nemo poterit habere concordiam cum Christo , qui discors voluerit esse cum Christiano. ut habet S. Aug. ser. 56. de Verbis Domini. Alia animalia in principio fecit DEUS duplia; masculum , & fœminam : hominem autem fecit unum , & ex illo sunt omnes , & singuli procreati , ut scilicet unitatem pacis , & discordiæ commendaret in homine. Ut habet S. Bonav. Quam DEO grati sunt concordiæ fundatores , tam exosi sunt eversores.

Eccli. 40. 30. Vir respiciens in men- 182 *sam alienam , non est vita ejus in cogita-*
tione viciūs. Quis quæso hujus Scri-
pturæ sensus ? ¶ *Hunc esse sensum :*
quod nauci flocci æstimanda sit vita illa ,
quæ à mensa dependet aliena , & suam
sibi aliundè , quasi mendicatò parat alimoniām.

Tales sunt histriones , & mendicantes va-
K 2 lidi,

lidi , à bonis operibus otiosi , inquit Lyr. Horum vita non est in cogitatione victus , id est : non cogitant aliquid facere ; unde debeant rationabiliter vivere. Hinc vita illorum mors potius dicenda , quam vita.

Ex hoc discat homo Christianus , quod qui praefidit meritis alienis , qui spem suam in pænitentiis , macerationibus , & Orationibus aliorum positam habet , ipse vero nihil laboret , sed fertur , vita ejus non est in cogitatione victus : non ille cogitat salvari , aut si cogitat , male , & stulte presumit ; si enim non studuerit , nec usus fuerit operibus propriis , nihil , vel parum commodi reportabit ex alienis.

183. Eccli. 43. v. 24. Medicina omnium in festinatione nebulae. Quis hujus Sacrae Scripturæ sensus moralis ! v. Hugo Card. ait , quod in sensu morali pænitentia dicitur nebula. Sed quid nebula cum Pænitentia ? quid commune utrique ? v. Id exponit Hugo dicens : Nebula magna videtur , sed statim disparet , & à longè videtur spissa , sed à propè nulla. Dum procul apparet nebula exterrit suâ obscuritate , & horrorem incutit caligine , densaque & admodum crassa videtur ; ast si quis eam ingrediatur , statim animadvertisit , multò tenuorem esse ,

esse, quām oculus depinxerat. Sic Pēnitentia videtur pēnitenti.

Sunt plurimi, quibus terribile videtur Jejunium, alperum vigilare, acerba flagellatio, intollerabile cilicum, sed talia procul apparent, sicut & nebula; è vicino autem alia rerum facies, quia suavia, dulcia, & levia conspicuntur, invenītque homo Agnum, ex quo pascatur, non Leonem, à quo dilaceretur. Tam male cantus est, sui amor, quod cibō vel subtractō, vel paululū immunitō, mox valetudini aliquid decessurum vereatur. Non possumus, inquiunt, dormire, caput dolebit, inanis stomachus latrabit: vires deficient, labores nimium exhaustient.

Isaiæ I. v. 10. Audite Verbum Domini Principes Sodomorum: percipite auribus Legem DEI nostri Populus Gomorrahæ. Quid est, quod Isaias aliter loquitur Principibus, & aliter Populo? Principibus solum dicit: Audite. Populo autem: Percipite auribus? ¶ Principibus, & Superioribus non tam enixè, ac sollicitè, ac graviter præcipitur, ut attendant Legi DEI, quām subditis imperatur; quia cum Superiorum munus per se requirat (quippè, qui exemplò & vitæ sanctitate subditis anteire debent) ut sint diligentes, & vigilantes,

satis est ipsos leviter moneri officii sui ,
quo tenentur audire verbum DEI , &
sanctam ejus Legem servare : Ast subdi-
tis tanquam rudioribus , & minus gnaris
eorum , quæ facere debeant , vel omit-
tere , necessum est , serio , & severe
mandare , ut debitam suarum functionum
rationem habeant.

185- *Isai. 3. v. 7. Non sum Medicus , &*
in Domo mea non est panis , neque vesti-
mentum , nolite me constituere Principem
Populi. Quid iste sic loquitur ? An Rex
futurus , prius studere debet medicinæ ?
aut Dominus Regia panes venales habere
debeat ? v. Utique Regem debere esse
Medicum. Nam Respublica , si sit ægra ,
debet illam Curare : si famelica , debet
succurrere , si faucia , sanare , si fames ,
si bellum , vel quod simile malum Pro-
vinciam , vel Regnum depopuletur , è
Domo Regia panis , & salus dari debet.

Vide Virum istum tam ingenuè suos defe-
ctus exponere , ob quos se existimat indignum ;
& minimè idoneum esse , ut Principis officiō
fungatur. Non sic hodie plerique faciunt ,
qui , quō expeditius átque faciliūs honores ,
& dignitates ; quas hianti corde concupiscunt ,
quóquō modo assequantur , & virtutes simu-
lant .

lant, & vitia dissimulant; ubi tamen imperandi dignitas plūs habet ignis, qui adurat, quam lucis, quæ splendidum faciat. Nescis, quid mali sit imperare, ait *Vopiscus* Ad natandum is melior, qui onere liberior. Sed tamen, qui regnat, si sapit, beatus est. inquit *Apuleius*. ô! taliter regnantium consolatio!

Isa. 20. v. 2. Factum est Verbum 186.

Domini in manu Isaiae. In manu? Non in auribus? aliàs quidem verba in aures dicuntur, nihilominus dicit *In manu*. Cur hoc? *v.* Non dici in auribus, sed in manu, ut detur intelligi, bonum auditorem Verbi Divini, potius adlaborare, ut operibus perficiat verbum, quam, ut percipiat auribus, quia factores Legis, non verò auditores justificabuntur.

Si semen Verbi DEI in viam cadat, aut in aridam indurati cordis Petram, aut in spinas inordinatarum cupiditatum, divitiarum, vel voluptatum, quem fructum feret in vitam æternam? Multæ proles idcirco sunt steriles bonorum operum, quia tales etiam sunt Parentes.

Isa. 24. v. 22. Claudentur in carcere, 187.

Et post multos dies visitabuntur. Textus iste intelligitur de damnatis. Sed quæritur, quomodo visitabuntur? an

fortè carcer ille non erit perpetuus ?
 ¶ In eo sensu fuisse Origenem , sed
 error fuit , & hæresis ; Sensus ergò
 scripturæ aliis est apud S- Thomam 3.
 part. quæst. 52. art-6. ad 1^{mum}. qui. Sic
 habet : *Potest hoc referri ad visitationem,*
quā visitabuntur damnati in die Judicii,
non ut liberentur , sed ut amplius con-
demnentur. juxta illud Sophon. 1. v. 13.
Visitabo super viros defixos infæcibus suis.

Provide mature ne cum his visiteris , &
 Inferni tormenta subire cogaris. Ubi erit
 dolor cum formidine , flamma cum obscuritate ,
 mors sine morte , finis sine fine , defectus sine de-
 fectu ; quia & mors vivit , & finis semper inci-
 pit , & defectus deficere nescit. Ait S. Greg.
 Lib. 9. mor. cap. 39.

188. Isa. 38. v. 1. *Dispone domini tue ,*
qua morieris tu & non vives. Quæri-
 tur , an Rex Ezechias mortem evasisset ,
 si Propheta ipsum de instanti morte cer-
 tiorem non fecisset ? ¶ Negative. Ratio
 est , quia Rex non plorasset , nisi de
 instanti morte moneretur. Lachrymis
 proximi periculi denunciatione expressis ,
 diuturniorem sibi vitam Rex impetrat.

Paucos sæculum nostrum numerat , qui cum
 Isaia ægrotum de instanti morte admoneant ,
 maxi-

maximè si ægrotus sit magni nominis. Plurimos verò qui dicunt: morietur ægrotus si de morte moneatur, & interim quot pereunt, quod perituros se non existiment, adstantium adulatio[n]e decepti? quot æternâ morte damnantur, qui ex persuasione adstantium, de vita diuturniori, & convalescentia, lacrymis abstinent? Testamenta non faciunt, Confessionem differunt, conscientiam non deoneraunt: Sacra[m]enta non suscipiunt, cum inimicis non reconcilianur. Vix si Dæmone nequior non sit, qui ægrotum decipit; cui cum adjutor bene moriendi esse debeat, vita spe adulari conatur.

Isa. 49. v. 4. Judicium meum cum Domo, & opus meum cum DEO meo. 189:
 Quid sibi ista volunt? ¶ Tantundem valere, ac si, inquit Marjana, & Hector Pintus dixisset: Mercedem operis mei, ac laboris, à DEO expectabo. Ast quomodo expectabit cùm ipse Propheta de se ibi dicat: *In vicuum laboravi?* Si Isaïæ prædicatio fructuosa non fuit, sic, ut nullum peccatorem ad vitam adduxerit, quid pro præmio sibi promittit? ¶ Officium Prophetæ erat: dare voces, prædicare, monere, bene consulere: neque ullum præteriit lapidem, quem pro contumacis populi salute, &

emendatione non moverit ; hinc si minus quam optabat , effecit , non per ipsum stetit. In Concionatore eventus Prædicationis , non est in manu , & facultate , sed auditoris ; huic incumbit fructum ex Verbo DEI audito facere , illius est officium annuntiare , & clamare , cui si satisfaciat , potest stipendum , Laurus , & corona pro mercede expectari à DEO , qui neminem , ultrà quod potest , gravat , sed ad perpendiculum prudentiæ vires examinat.

190. Isa. 56. v. 10. *Canes muti non valentes latrare , videntes vana , dormientes , & amantes somnia.* Quæritur , quos hic fugillat Propheta Isaias ? *v.* Judæorum Doctores , inquit Menochius ; quod ad ea omnia , quæ pertinerent ad suum officium , insigniter negligentes essent. Comparat verò eos canibus , non generofis , qui acutum visum habent , sed vilibus , qui si quid etiam vident , vel audiunt , modicè caput attollunt , sed inox , ac si nihil sit , in somnum , & somnia antiqua reclinant. Erant canes muti , latrare non valentes , nec volentes ; partim quòd iisdem sceleribus deti-

detinerentur , adversus quæ latrandum fuerat : partim quod Principibus , & populis adularentur , & sic boli illis objecti vocem intercluserint.

Hodie multi etiam Ecclesiastæ obmiserunt. Quare ? quia ut inquit S. Aug. lib. I. de Civ. DEI: Plerumque ab admonendis objurgandis , & corrigendis malis , male dissimulatur ne eos offendamus , ne impediant , vel noceant in temporalibus rebus , quas adipisci adhuc appetit cupiditas. O Concionatores ! metuitis obsecraciones , metuitis persecuciones ? metuitis incurrire disgratiā ? gliscat ergo incestus , usque dum totum orbem luxuria corripiat. Evomant impii blasphemias usque dum ater illarum fumus solem obscuret : convertatur domus orationis in speluncam latronum , & in habitacula Diabolorum. Vos videritis ! Timor humanus in rebus Divinis , nihil unquam salutare suasit ; semper timidos timor decepit.

*Jerem. 17. v. 16. Diem hominis non 191.
desideravi , tu (Domine) scis. Quis
est dies hominis , quem Propheta Jere-
mias non desideravit ? v. Diem hominis
esse illum , quo homo prosperatur , di-
ves est , potens est , gloriosus : hono-
ratur , laudatur , deliciatur. Vult di-
cere Jeremias : Non desideravi vitam
lon-*

longevam , opes , delicias , aut etiam
quamlibet sæculi prosperitatem. Qua-
re ? quia , ut ait S. Anselm. Tom.
1. Verbo *felicitas* : Felicitas sæculi , ven-
tus est contrarius. Qui gratia apud
Principes , & opum copia in mundo va-
let , mare cordis illius semper fremit ,
sævit , continuisque perturbationum ,
ac solicitudinum fluctibus concitatur ,
omnesque suspectos habet , ac timet.
Pauper absque timore semper itinera-
tur , egenum nemo vel invadit , vel
persequitur , nec quisquam mendico
invidet.

DEI servus , animarum saluti destinatus ,
postquam manipulos multos pro viribus in
horreum Domini comportavit , nihil habet
ultra , quô in hac vita delectetur. E quo-
modo delectabitur ? nonne mali dies sunt ,
quos agimus in corruptela hujus carnis inter-
tantas difficultates , ubi falsa voluptas , nulla
gaudii securitas : timor torquens , cupiditas
avida , tristitia arida ? *Ecce quam mali dies* , &
tamen rogam DEUM homines , ut diu vivant .
Quid est autem diu vivere , nisi diu torqueri ? S.
August Serm. 17. de Ver. Dom. Quanto vita
longior , tanto culpa numerosior ; quotidie
namque crescunt mala , & substrahuntur
bona. Et ut habet Seneca Epist. 108. Meliora
prætervolant. , deteriora succedunt.

Thren. 3. ¶. 27. Bonum est viro, 192.
cum portaverit jugum ab adolescentia sua. Quare recte ab adolescentia? ¶
 Quia, qui illud à teneris annis excipit, unum laborem habet; at, qui se illi, jam senex submittit, duplice habet molestiam, & quidem unam, hancque maximam, quod pugnare cum veteri sua consuetudine debet. Alteram verò quod novis armis uti, & aſvescere inusitatis virtutibus cogatur.

Luſtandum est diu hujusmodi viro, ut abolefatiat inveterata, atque diurna. inquit S. Ambr. Serm. 2. in Psal. 118. Qui portat jugum ab adolescentia, unum tantum habet laborem, quem supereret, nempè difficultatem aſvescendi aſpero jugo, & auſteritati Pænitentiæ, quam tamen difficultatem paulatim, ac leviſer tollit exercitatio, & uſus a teneris annis uſcepius. Sed :

Dices: Cūm puer sit immaturō judicio, ut non intelligat, quod docetur, nec ſciat, quid ſit, quod agit, quomodo aſuefaciendus aut imbuendus? ¶ Quamquam puer non ſit capax doctrinæ, eſt tamen capax consuetudinis, hoc eſt, ut incipiat aſvescere bonis artibus, verbis, & moribus, quæ primò imbibimus

bibimus , retinemus etiam in senectute .
 Quamvis ergo puer nesciat , quid boni
 adferat silentium , instruendus est tamen
 ad taciturnitatem , ut , quando , ex u-
 su fuerit , linguam coērceat . Quamvis
 nesciat , quid sit audire Missam , addu-
 cendus tamen est , ut audire consvescat ,
 & sic adultioribus annis per totam vi-
 tam , suaviter , feliciter , & continuatē
 prosequetur .

Debile principium melior fortuna seque-
 tur .

194. *Thr. 4. v. 8. Denigrata est super car-*
bones facies eorum , & non sunt cogniti
in plateis . Quæritur quos hic deploret
Jeremias ? R. Nazaræos , qui præ fame ,
quam passi sunt in obsidione , & postea in
captivitate ; præ macie , & miseriis fa-
cti sunt nigriores carbonibus , ita ut non
agnoscerentur in plateis .

Quid facit in Clero , vel Religione scan-
 dalosa unius , vel alterius vita ? Hoc : suā
 fuligine aspergit innocentes , & deturpat Na-
 zaræos , ut sint carbone nigriores , nec co-
 gnoscuntur in plateis , quia longo tempore
 coguntur domi se detinere , ob maculatam
 illius Fratris vitam , qui fœtere fecit odorem
 sui statūs coram sacerdotalibus : quique uno ma-

lō factō totum destruit quid quid alii millenis suis bonis exemplis ædificant. Ille *Adino Hesnita* 2. Reg. 23. ¶ 8. unō impetu interfecit octingentos Philisteos; At scandalosus Frater, unō in peccatum impetu, occidit in honore plusquam mille, & mille, quia Clerum, & totum statum Religolum. Videat DEUS, & judicet! & videt, & aliquando gravissimè vindicabit.

Ezechielis 46. ¶ 9. Qui ingreditur per viam portæ Meridionalis, egredietur 195. per viam portæ aquilonaris: non egreditur per viam portæ, per quam ingressus est. Quæritur, quis sensus hujus Scripturæ spiritualis? ¶ Aquilo, ob suam asperitatem, & vim frigorū, est symbolum ærumnarum præsentium: Meridies symbolum, ob suam lenitatem, quietis, & vacationis. Quòd ergo Dominus mandavit, ut, qui per portam Aquilonarem, idest: per angusta calamitatum, & adversitatum hujus vitæ ingrederentur, exirent per Meridionalem, id factum est, ut doceremur, eum, qui intrat per portam laborum, defatigationum, & miseriārum, egressurum, per portam quietis, & gloriæ in vitam futurā; è contra, eum, qui intrat in hac vita per portam deliciarum, & voluptatum, exiturum per portam Aqui-

Aquilonarem tormentorum , cruciatum , & suppliciorum æternorum . Ita Petrus Berchorius : *Impossibile , ut de deliciis , trans eas ad delicias.* inquit ille

197. *Danielis 3. v. 47.* Et effundebatur flamma super fornacem cubitis quadraginta novem . Quæritur , quare flammæ cubitos , sacer textus non ponit ascendisse ad cubitos quinquaginta ? v. Mysterium hic latere ait Drexelius consider . de æternitate §. 2. dicens : *Mysterium hic est , & arcanus sensus.* Fornax Babylonica erat figura gehennalis incendii ; hinc S. Scriptura de industria ponit , flammam effusam super fornacem , solum cubitis quadraginta novem , & non ascendisse ad cubitum quinquagesimum , ut indicaret , ignem infernalem ad cubitum quinquagesimum nunquam pervenire posse ; quia numerus quinquagesimus , inquit Cit. Drexelius : Jubilæum significat : At flammæ in Orcina Babylonica nunquam eo pertingent , ut Jubilæi gratiam attingant . En inexplicablem tormentorum acerbitatem per interminabiles æternitatis periodos duraturam .

Daniel. 6. v. 18. Abiit Rex in domum 197.
suum, & dormivit insenatus; Cum ta-
mén paulò post dicatur: Insuper, &
somnus recessit ab eo. Videtur esse con-
tradiccio; nam si dormivit, somnus non
recessit, saltem per aliquod tempus:
si recessit, non dormivit. Quomodo
hæc concilianda sunt? ¶ Somnum verè
recessisse à Dario cogitante, ac dolente
causam amici sui Danielis, sed quia
ivit cubitum, dormisse dicitur, non
quia dormierit, sed quia fecit actionem,
quæ plerūmque dormiendi gratia fit, &
quam plerūmque subsequitur; unde po-
nitur actus secundus, dormivit; pro a-
ctu primo, idest, pro consuetudine,
ac more dormiendi, quem habent, qui
sani eunt ad lectum.

Utinam tam serio doloremus de absentia,
 & subtractione gratiæ Divinæ, quantum
 dolemus ob amissionem Amici, Parentum,
 & Propinquorum! Vix nos obitus illorum
 dormire sinit. Et quantos videmus quasi ob-
 litos sui, & peccatorum suorum: DEI quo-
 que, & beneficiorum ejus immemores!

Daniel. 8. v. 27. Et ego Daniel lan- 198.
gvui, & ægrotavi per dies. Quare ægrot-
tavit? quia ut ipse dicit: Stupebam ad
 L *visio-*

visionem, & non erat, qui interpretaretur. At quomodo Interpres non erat, quandoquidem Gabriel, sic Danieli exposuit: *Aries, quem vidisti habere cornua, Rex Medorum est. Porro hircus Caprarum, Rex Græcorum est.* Ibidem v. 20. & 21.

v. Reges audierat, inquit S. Hierony. & eorum nomina nesciebat, futura cognoverat, & quō tempore futura essent, dubius fluctuabat. Hinc est, quod Daniel se dicat languiisse, & ægrotasse. Nam vix major cruciatus, & tormentum inveniri potest, quam cruciatus animi dubii, perplexi, fluctuabundi, & pendentis. Unde S. Ambros. dicit esse reos, qui vitam quanquam pretiosissimam gemmam, sibi adimi malunt, quam certâ expectatione dubii pendere, quis causæ eorum futurus sit eventus, majusque beneficium putant, si citâ morte quod malè fecerunt, luant, quam diu suspensi hæreant.

199. Daniel. 10. v. 2. & 3. In diebus illis, ego (Daniel) lugebam trium hebdomadarum diebus, panem desiderabilem non comedí &c. Quæritur, cum Rex Cyrus dederit facultatem redeundi Judæis in terram promissionis, & reædificandi Templum Domini, cur illo lætitiae tempore

pore jejunet Daniel , & ploret ? **R.**
 Quia Hæbræi ibidem multi parvò aliquò
 honore gaudentes , non curarunt in Pa-
 triam redire. Do verba Theodoreti :
Cum enim Rex omnibus libertatem , &
reditum in Patriam permisisset , complu-
res , bonorum , quæ in Babylone possi-
debant , amore capti , neglecto in Patriam
reditu , tantò beneficō uti noluerunt ,
ideò Daniel plorat.

Quoties te deflet Sancta Mater Ecclesia ,
 quod modicâ hujus mundi voluptatulâ captus ,
 non vis adscribi in libertatem filiorum DEI ,
 & negligis in Patriam Regni Cœlestis ex
 captivitate peccatorum redire. Ambula , se-
 de , sta , jace , stude , ut invenias argumen-
 ta , quibus moras in conversione tua purges ;
 nihil occurret , quod te defendat.

Unde factum est , quod Cyrus , Rex ²⁰⁰
 Persarum , erga Judæos Babylonicæ ca-
 ptivitatis , tam propitius fuerit , ut e-
 dictum pro ipsorum libertate , ac reditu ,
 Templique Hierosolymitani instauratio-
 ne daret ? **R.** Quia , cum Cyrus totius
 Orientis Imperio potiretur , jamque se-
 ptuagesimus annus esset Judaicæ capti-
 vitatis , novo Imperatori monstrata sunt
 Prophetæ Isaiæ de ipso Vaticinia Cap.

44. & 45. *Qui dico Cyro, Pastor meus,
omnem voluntatem meam complebis.*
Hæc dicit Dominus Christo meo Cyro.
Quæ, cùm legisset, vel audiisset Cyrus, benevolentia singulari erga Judæos captivos effectus est, ut eadem, quæ dicta sunt faceret.

Dignus, ob hoc, amore Cyrus. Si amantem hominem, non redamaverit homo, meritò à se ipso, & aliis damnatur. Multò magis rei sumus, quòd amantem nos DEUM, non redamemus, cùm ejus amorem, infinita beneficia, eaque certissima Creationis, conservationis, Redemptionis &c. manifestent. *Durissimus est*, inquit August. de Catechumenis, quem redamare piget, priùs amantem:

101. *Oseæ 2. v. 14. Ecce ego lactabo eam,
& ducam (Sponsam Animam) in solitudinem.* Aliqui illud *ducam*, sic vertunt; *seducam*, circumveniam Animam fraude, quam in solitudine indulgenter habere, & recreare volo. Quis vertit, *ducam*, pro *seducam*? *v.* Oleaster in cap. 12. Gen. sic habet: *Expende verbum, seduco, & considera, quòd etiam ad ea, quæ nobis maximè utilia sunt, oportet eos seducere.* Res mira! sicut Medici, & Nutrices variò astu seducere,

& ad-

& adducere pueros , & ægrotos solent,
ut medicinas salutares , & restituendæ
saluti pernecessarias hauriant , & sæpè
vix obtinent magnis precibus , ut su-
mant , quod ipsi vehementer , & perti-
naciter alias petere deberent.

Ita DÆUS , seducere , circumscribere dolô
animam debet , ut ei ad cor loqui , & ne-
cessaria salutis æternæ monita dare possit.

Magna hæc , miseræ nostræ naturæ infeli-
citas , quòd ad ea , quæ nobis convenientissima ,
& ex usu naturæ nostræ , æternæ sunt salutis ,
tam variò artificio , dolô , ac solertiâ perdu-
ci debeamus ; cum in ea , quæ nobis damno-
sa sunt , & exitiabilia , nos ipsi , haud difficul-
ter , sed leviter , ac præcipitanter ingurgitemus .

Amos I. v. 3. Super tribus sceleribus 202.
Damasci , & super quatuor non conver-
tam eum , eò , quòd trituraverint in
plaustris Galaad. Quid est super tribus ,
& super quatuor non converti Dama-
scum ? *v.* Super tribus , idest : pluri-
mis , seu ob plura scelera , & maximè ob
quartum , non convertam Damascum ,
id est : non revocabo Populum Damasci
à pœna , à supplicio , & morte ipsi per
me decreta . Quartum scelus (quod
est maximum) est ; quòd Galaad . id est ;

Israëlitas habitantes in Galatitide, stratos
humi triturerint plaustris ferreis, idest:
rotis subter ferreis, & dentatis perinde
contriverint, veluti solent spicæ conteri
in Area, ut grana excutiantur. Hæc
Tyrinus.

Habet, & Hodie mundus non paucos cru-
deles, qui supra dorsum Innocentum, & fa-
bricant, & trituran, & eorum sanguinem
fundunt, aut calumnâ, aut oppressione,
aut injustâ lite, aut negatô sudoris eorum
pretio.

203. Michææ 7. v. 1. *Væ mihi! quia fa-
ctus sum, sicut, qui colligit in autumno
racemos vindemiæ: non est botrus ad co-
medendum.* Quæritur; an de se, an de
alio dicat lamentum Propheta? ¶ Pro-
pheta Michæas illis verbis DEUM la-
mentantem introducit, quo loquendi modò
DEUS insinuare vult, Dæmonem esse,
qui ferè solus Animarum facit vinde-
miam: se verò factum esse, sicut, qui
absoluta vindemia, hinc inde reliquos
colligit neglectos racemos. Nam ma-
xima pars hominum diabolo servit, ejus-
que fit esca, & præda; unde ab eo
premetur, & calcabitur in torculari in-
teriori. Exigua verò pars cedet Christo,
botri

botri pauci , & pauperculi ex reliquiis :
Diabolo magni , & plurimi , ut vinde-
miatori.

Quis causa hujus injustæ divisionis ? Pe-
ccator. Alias DEUS vult totum sibi impen-
di ; & en peccator diabolum facit in divisio-
ne potiorem , & quod infimum , DEO re-
linquit. Sed hoc est quod Nazianz. ait Orat.

4. Ubi diabolum peccatori ita loquentem in-
troducit : *Dividatur ! Da mihi tempus , quod
nunc fluit , futurum DEO , mibi ætatis florem ,
DEO senectutem.* Diabolus non ostendit
semper extremum odium DEI. Hoc tantum
agit , ut non totum homo , DEO det ; det
aliquid , sed sibi plus : dicit : Dilige DEUM ,
sed non ex toto corde : age in honorem DEI ,
& plura in honorem meum , cantes , sed
& blasphemæ.

Cum in Quæstione superiori ex Mi-204.
chæa uno de Prophetis minoribus , ser-
mo fuerit , hic incidenter quæritur ;
cur duodecim Prophetæ minores sic vo-
centur ? *R.* Sic vocari minores . respe-
ctu quatuor majorum scilicet : Isaiæ ,
Jeremiæ , Ezechielis , & Danielis , non
ex eo , quod illis quatuor majoribus ,
sententiarum gravitate , verborūmque
majestate cedant , sed ob sermonis , &
librorum brevitatem.

Multos hoc sæculum numerat, quibus si libri Prophetarum majorum, vel minorum ad discendum aperti tradantur, statim claudunt; si clausi, nunquam aperiunt: At libros Machiavelli, Mazarini, Ovidii de turpi amore, volvere nunquam nauseant. Libros de divinis nominibus, de cœlesti Hierarchy servant post fornacem; Tacitum, inter thesauros.

205. *Soph. i. v. 8. Visitabo - - - super omnes, qui induiti sunt ueste peregrinâ Quæ illa vestis peregrina? v. Quæ non erat Judaica, sed alicujus extraneæ Nationis: puta vestis Ægyptia, Babylo-nica, Philistæa, Tyria &c. Taxat ergo Propheta hic Judæorum ambitionem, le-vitatem, & curiositatem, quod novum, & peregrinum, & gentilitium vestitum assumerent: quodque cum vestibus mo-res, & idololatriam inducerent Gentium.*

Veste peregrinâ induuntur, qui cor ma-chinationibus tegunt, sensum verbis velant; quæ falsa sunt, vera ostendunt, & quæ vera sunt, falsa demonstrant: Cùm virtutis possi-bilitas deest, quidquid per malitiam explere non valent, hoc in pacifica bonitate simulant, & sunt foris Catones, intus Nerones: *Dic Hypocrita: dicit Chrysost. hom. 45. super Math. Si bonum est esse malum, ut quid non vis apparere, quod ex? si autem melius est bo-*

rum esse , ut quid non vis esse , quod vis appa-
rere ?

Habac. 2. v. 3. si moram fecerit ,^{206.}
expecta eum , quia veniens veniet &
non tardabit. Res mira ! quomodo
non tardat , si moram facit ? vel quo-
modo moram facit , si non tardat ?
¶ Deus tardat desideriis nostris , sed
non tardat meritis : cunctantius venit ,
quam vellemus , sed non serius quam
mereamur. S. Bernardus ferm.^{74.}
in Cantica de illo Textu sic loquitur ;
*Quomodo non tardabit , si moram fe-
cerit ? nisi , quod ad meritum satis-
est , & non satis ad votum.*

Ut ergo seriam obtentionem eorum ,
quæ optas , æquanimiter toleres , figas
oculos in merita tua , non aspicias desi-
deria , sic enim fiet , ut gratō animō acci-
pias , postquam humili corde petieris.

Zachariæ io. v. i. Petite à Do-^{207.}
mino pluviam in tempore scrotino. Quid
tempus illud scrotinum , quo jubemur
à Domino petere pluviam ? ¶ Tempus
serotinum esse tempus vernum ,
dum maturescunt fruges , ut grana
humore pluviæ alantur , grandescant ,

& crassescant, & hæc dicitur pluvia serotina, estque gratissima, jucundissima, & utilissima. Pluvia matutina, vel temporanea est, quæ cedit in Autumno, cum jaciuntur semina, ut illa, humore pluviæ resolvantur; & germinare incipient.

Pete pluviam gratiæ Dei, ut Saxeum Cor tuum in carneum refolvatur ab illo humore, & tandem aliquando germinare incipiat, *Præsta Deo Cor tuum molle, & tractabile & custodi figuram, quâ te figuravit Artifex, habens in temetipso bumorem, ne induratus amittas vestigia digitorum ejus.* S. Irenæus lib 5 Cap. 76.

208. *I. Machab. i. v. 3. Et siluit terra in conspectu ejus, Sed quomodo Siluit in conspectu Alexandri M? quandoquidem armorum fragor, tubarum clangor, totum mundum impleverit, & nullâ quiete terra gavisa fuerit, sed continuis motibus concussa?* v. Verè dici terram in conspectu illius Siluisse; quia ante Alexandrum natum, Cyri Regis potentia, Xerxis generositas, Nani magnificentia, Acchillis fortitudo, Hectoris, & aliorum Ducum heroica facta in mundo admirabiliter,

cum

cum tripudio decantabantur. Ast dum terra obstupefacta , Alexandri victorias , prælia , gloriam , generosaque illius facta contemplabatur , obmutuit : sicque aliorum Ducum gloria , & laudes , quasi evanuerunt. Quia ergo Alexandri gloria , nimio suo lumine , cætera lumina præcedebat , hinc dicit scriptura : *siluit terra in conspectu ejus.*

Magis silebit terra , cum venerit Filius hominis in Majestate sua , & sedebit super sedem Majestatis suæ : cum venerit cum omnibus Angelis suis inter conflagrantium Coelorum , & orbis incendia , Stellarum ruinas Solis , Lunæque deliquia ; tunc enim velut piscis ponticus obmutescet.

QUÆSTIONES.

Super Textus Novi Testamenti.

MAth. i. v. i. *Liber generationis I. JESU Christi.* Quæritur , cur tam citò Christi mentionem ponit Evangelista ? & quare Patrum generationibus , Christi Nomen præponitur ? v. Mentionem citò fieri , quia

quia S. Mathæus Hebræorum animos tali nuntiō erigere. voluit , qui tanto desideriō Messiam expectabant. Præponitur autem Nomen J E S U Christi Patrum generationibus , & illud claudit in fine , quia ipse est Principium , & finis , à quo vita nostra incipere , & in quem desinere debet. Tota namque vita nostra sic agenda est , ut eo consumatur , à quo incepit. inquit Rupert. in Psal. 117.

2. Si quæras eur genealogia Christi texitur à Prædecessoribus , quorum multi fuerunt scelesti , ut Roboam , Joram , Achaz &c. atque etiam mulierum , ut Rahab , quæ fuit meretrix : Ruth gentilis : Bethsabea adultera ? ¶ Voluit Christus ab illis descendere , ut eò admirabilior ejus etiam foret humilitas , quò ignominiosior fuit ex talibus nativitas. Hæc est gloria Christi , quòd sit Filius Dei : natus est de Virgine Maria , cuius unius dignitas major est , quam reliquarum omnium indignitas. vel forte à similibus descendere voluit ,

ad

ad confundendos homines illos , qui aut Parentes suos viliores erubescunt , aut honoratiores de stemmate jactant.

Math. 2. ¶ 2. Vidimus stellam eius in oriente. Cur hanc stellam , quam viderant , vocant specialiter Christi ? Nonné omnes stellæ ad ipsum Pertinent ? ¶ Hoc , quòd stellam ejus vidisse dicant , factum est per appropriationem , quia etsi etiam cœteræ stellæ ab ipso creatæ sint à mundi principio , hæc tamen , ut inquit Hugo specialiter creata , & deputata est ad Nativitatis ejus ostensionem : sic sentit etiam S. Maximus.

Quoties divinæ inspirationis stella animæ tuæ illuxit , excitans te ad quærendum Christum , ejusque Paupertatem , humilitatem , cæterasque Virtutes amplectendas , & ne vel quidem pedem movisti , ut id quæras , quod suggeritur , effectis excusationis gratiâ difficultatibus ; quæ nullæ sunt.

Math. 2. ¶ 16. Et mittens occidit 4 omnes pueros - - - à bimatu , & infrá . Quæritur an etiam occisus sit inter illos Filius Herodis , tunc parvulus ?

¶. Ita equidem referri à Macrobius
lib. 2. Saturnalium Cap. 2. Augusti
dictum sic referente: Cùm audiisset
inter pueros, quos in Syria Rex He-
rodes Iudeorum intra bimatum jussit
occidi, Filium quoque ejus occisum
ait: melius est esse Herodis porcum, quam
Filium. Quis verò fuerit Filius ille
Herodis inter Authores non convenit.

Regnandi cupiditas, supremam Animi ar-
cem apud plerisque obtinet, si non aliter,
etiam profusione sanguinis innocentis. Omnia
nos vitia impugnant, omnia peccata perie-
quuntur flagitia omnia bello laceffunt. Ve-
rè nihil acriore, ac pertinaciore præliò ve-
xat homines, quam regnandi ambitio, &
desiderium videndi alios tuæ Potestatis arbi-
trio subjectos. Certe mirum, quòd ex tanta
capitis nostri infirmitate convalescere non ve-
limus.

¶. Math. 4. v. 2. Et ecce Angeli ac-
cesserunt, & ministrabant ei. In quo,
vel quid Christo, quem Spiritus mali-
gnus statuerat super pinnaculum Templi,
ministrarunt? ¶. Paulus de Palatio in
Cap. 4. Math. dicens: *Credo;* quòd
Angeli ministrarunt Christo, abducentes
eum à pinnaculo Templi, & deducentes
eum in locum planum ibi forsitan cibos
ei ministrarunt.

Cibos Christo esurienti Angeli ministrârunt, quantâ putas reverentiâ? Tibi esurienti Christus Ipse Carnem suam, & sanguinem ministrat, ad quem habere debes amorem appretiativum, & affectivum, qui altissimam de Divina Majestate concipiat estimationem, tenuerrimóque affectu ipsius amori respondeat.

*Math. 6. v. 9. Sic ergo orabitis: 6.
Pater noster, qui es in Cœlis. Quæritur, An Beata Virgo Maria oraverit aliquando Pater noster & Ratio dubitandi est, quia cum fuerit immunis ab omni labore peccati; nescio, quomodo dicere potuit: Et dimitte nobis debita nostra. ix. Si constaret aliquem, nullum habere peccatum, talis adhuc posset orare Pater noster. &c. in Persona Ecclesiæ, & ideo, cum constet Beatam Virginem Mariam, nullum habuisse peccatum, creditur orasse Pater noster &c. in Persona Ecclesiæ ut voluntatem Christi impleret, volentis, sic Discipulos suos orare debere.*

Ecce Benignitatem Christi Salyatoris nostri. Qui, quia nos quid oremus, secundum quod oportet, nescimus, ne evagaremur incerti, formam nobis tradidit in oratione, quam ipse composuit: in qua subsepte-

septenario petitionum numero , universitas petendorum concluditur. Oravit hanc Orationem B. V. Maria , a qua abfuit omne peccatum , quomodo nos negligemus , qui non sumus sine peccato ?

7. *Math. 6. v. 24.* *Nemo potest duobus Dominis servire.* Quæritur , qui sint illi duo Domini ? *v.* Duo illi sunt : DEUS , & Diabolus. quam dissimiles hi Domini ! Habent isti Domini donativa sua propria Diabolus dat perpetuam captivitatem : DEUS interminabilem felicitatem. Jam cogita , cuius ha- ctenus stipendia ex his duobus promeritus fuisti , & resolve , cui ex his duo- bus , labore , & sudorem tuum im- pendere velis.

Ut DEO servias , allicit te illius supre- ma Majestas , Bonitas , Dignitas , an negli- ges ? Invitat te virtutis pulchritudo , hone- stas , utilitas , an contemnes ? cogit te præ- fentis vitæ brevitas , futuræ æternitas : Cœli præmium , Inferni tormentum , an relucta- beris ? ut quid claudicas in duas partes ? *3. Reg. 18. v. 21.*

8. *Math. 9. v. 23.* *Cum venisset JESUS in domum Principis , & vidisset Tibici- nes.* Quid quæsto Tibicines , ubi mor- tuus.

tuus jacebat , fecerunt ? ¶ Mos erat apud Judæos , ut Tibicines in funere conducti , Carmen triste modulantes , næcias amicis , luctum vicinis , & lacrymas cieant ob mortem defuncti . Alter faciebant Thraces , qui homine nascente , cordis angustias oculorum lacrymis testabantur ; eò , quod creatura tam nobilis , tot ornamentorum dives , in hora nativitatis suæ , primos gressus , figere debeat inter pungentes pœnarum nostrarum spinas . At verò summè gaudebant de obitu hominis ex hac vita , ob liberationem à prædictis spinarum hujus mundi tribulationibus .

Ex ingenti dolore mortis Parentum , vel Amicorum , licet conjecturam facere de intollerabili dolore damnatorum ob amissionem summi Boni . Et hic quidem dolor tam longè illum , si non plus , excellit , quam scintilla unica à vasto quodam incendio , aut camino ardente superatur .

Math. 13. v. 8. Alia ceciderunt in ter- 9.
ram bonam , & dabant fructum , aliud centesimum , aliud sexagesimum , aliud trigesimum . Quæritur , cur fructum incepit Christus à centesimo , & terminat in trigesimo per descensum ? ¶ Bonam

terram Salvator ipse vocat, quæ cum initio copiosissimum fructum dedisset, paulatim ita à sua fertilitate remisit, ut vix trigesimum proferre solita erat.

Docemur éâ re, quod passim fieri videmus, quòd multi, cum magno calore incipient, & paulatim tepeicunt, ac spiritu languescunt, & de ferventi profectus studio remittunt. Multi, primò suscepτæ bonæ operationis diluculō, vehementer ardent, paulatim verò intepescunt, demum etiam conglaciantur, & male dimittunt quod benè cœperant. Hi odoribus quibusdam, eorumque fragrantiaæ sunt similes, de quibus Theophrastus lib. 6. cap. 25. de causis plantarum, sic loquitur: *Odores plurimi sinceriores manè sentiuntur, die crescente minus, meridie minime.* Quanta pernicies! ubi semel cum Dæo ordimur, & postea Diabolus exitum occupat.

10.

Math. 16. v. 19. Tibi dabo claves Regni Cœlorum. Quare Christus Dominus promisit Petro claves, & non clavim? Item: Cur Regni Cœlorum, & non suas? ¶ Dedit claves, & non clavem unam, ad designandam Ecclesiæ autoritatem, & potestatem Ordinis, atque Jurisdictionis. Hanc solis Episcopis reservatam: illam omnibus Presbyteris communem. Non dixit autem:

Tibi.

Tibi dabo claves meas. Ad designandum, quod clavis Christi, clavi Pastorum, Ministrorumque Ecclesiæ, longè sit excellentior, & dignior. NB. S. Petrum pingi cum clavibus, & non cum Cruce; quia Martyrium, quod Petrus ex clavibus dignitatis Pontificiæ, & superioratus spiritualis sustinuit, majus, & atrocius fuit illo, quod ipse passus est in Cruce; hinc clavium causa vita illius, continuum Martyrium fuit. Quot hodie sunt, qui defectu clavium dignitatis ferè tabescunt, & se (si Superis placet) inter Martyres numerant.

*Math. 16. v. 22. Absit à te Domine, II.
non erit tibi hoc. Quæritur, quid Petrum ad sic dicendum moverit, an miseratione erga Christum, an aliquid aliud?
¶ Ut Petrus miserans videretur Christum, metuebat adire cum suo Magistro Passionem, & dolere vices illius simulabat; nec ob aliud Dominum suum à proposito itinere, avocare conabatur, quam, quod ipse ire Jerosolymam formidaret. Lege Chrysostomum Hom. de negatione Petri Tom. 5. ubi ait: Ut Jerosolymam non ascenderet, orabat, quod Iudæorum mi-*

nas non ferret. Hinc ubi Christus Petrum sic loquentem audivit, hæc ipsi reposuit: *Vade post me Sathan.*

Multos in hac vita reperies homines, qui sub specie observantiæ, & urbanitatis contegunt falsum colorem, & sub pallio submissionis obnubunt animi sui fraudem: simulant humanitatis officia, & meditantur prodiciones. Hinc rara fides est inquit S. Hyer super Matth. aliud in labiis, aliud in corde versatur, venenum animæ linguae mella contingunt.

12. *Math 18-¶. 6. Expedit ei, ut suspenderetur mola asinaria in collo ejus.* Quid est mola asinaria? ¶ Mola asinaria est, quam circa rotam girando, vertunt, volvuntque asini. Mola vocatur lapis molaris, asinaria, idest: gravis, & grandis, quæ non ab homine (uti fit in trusatili) sed in equo, vel asino circumagi debet.

Audiisti verba Christi, scandalose? vide, ut cautius incedas: scandalum caveas, & peccatum fugias; aut si perire constituisti, saltem aliis parce, ut mitius pereas. Vix ex omni peccatorum genere certius damnatur, quam homo scandalosus, cuius causâ, aliqua anima in inferno ardet, quæ scandalizantem, continuò coram Deo accusat. Quælo,

sal-

faltem alieni capitis discrimen attende, si tuum tibi caput est venale.

Math. 18. v. 24. Oblatus est ei unus, qui debebat decem millia talenta. Quæritur, quare Rex tam diu expectavit ponere rationem cum hoc debitorum? nam quò plura quis debeat, eò minus ad solvendum est idoneus. ¶ Hoc ideo factum, ut hunc Regem vere esse hominem, id est: misericordem agnoscas. Permittit enim aliquando nos peccatis nostris satiari, ut eorum naufragiam habentes, detestemur. Lege Oleastrum, qui in annotatione morali sic habet: Diabolus non sinit peccatores peccatis suis satiari, ne post saturitatem fastidio illis sit: & sæpè contingit, ut peccatores saturi, ad Deum redeant facilius. sic Num. II. Deus fecit; Cùm enim populus carnium desiderio flagraret, per nares eas projiciebat, ut satiati, de cætero eas non desiderarent.

Math. 18. v. 25. Fussit cum dominus 14. venumdari, & uxorem &c. Cur & Uxor jubetur vendi? ¶ Quia fortè contracti debiti præcipua causa fuit uxor. Sic enim ferè fit, quòd ob uxorum super-

fluum cultum , vestimenta , & monilia ,
ære alieno viri premantur , & Familiæ.
Nam uxoris petitiones sunt immensæ , &
sic Mariti , ut eis non displiceant , plu-
ra contrahunt debita . Hinc , ut Mulie-
rum petitiones Deus præscinderet , sic
jubebat : Exod. 21 *Si quis percusserit*
Mulierem prægnantem , & abortivum
fecerit , subjacebit damno quantum Maritus
mulieris expetiverit. Non dixit : quan-
tum mulier expetiverit ; quia ut inquit
Paludanus : *Persona læsa , & præcipue*
mulier immoderatè petere consuevit ; ideo
non arbitrio mulieris , sed viri hoc possum
esse.

15. *Math. 22. v. 12. Amice quomodo hic*
intrâisti , non habens vestem Nuptialem ?
Quare non eum increpat contumeliosè ,
nec in eum acriter invehitur ? *v.* Ut
factum suum ipse damnaret , & veniam de-
precaretur : errorem suum fateretur , & ve-
niam humillimè postularet . Ecce quomodo
Iesus delinquentes , modis omnibus ad
Pænitentiam allicit ! decetque nos , ut
qui arguimus peccatores , in vitia , &
non in homines sàviamus , nec contu-
meliosè eos , qui lapsi sunt , reprehen-
damus ,

damus , neque Zelus justæ reprehensionis modum excedat.

Si quæras : Cur nemo ex tanta multitudine pro isto , quem Rex arguit , intercessit , & causam defendit ? *R.* Ut disceremus , quòd in extremo Judicio , nullus Sanctorum , partes peccatorum tuebitur , nullus impiis patrocinabitur , ultimus enim ille Dies , est severitatis , & ultiōnis.

Math. 22. v. 16. *Non est tibi cura 16.*
de aliquo. Quomodo non est illi cura de aliquo ? imò verò summa. *Non enim est aliis DEUS , quām tu , cui cura est de omnibus.* *Sap. 12. v. 13.* Studet sedulò nos omnes ad cœlum dirigere : cura ipsi est de omni passere ; quanto magis de homine ad imaginem suam facto ?

An etiam Domini terrestres curam habeant famulorum suorum ? an imitentur Centurionem in Capharnaum , cuius servus malè habebat , & media omnia adhibuerat , ad illum , sanitati , & obsequio restituendum , ut pote qui illi erat pretiosus , *Luc. 7. v. 2?* Sed . En ! forte multos invenies Dominos , apud quos servi reputantur viles ; qui si in obsequio contrahant certum mortis periculum , pro illo curando , nec nummum unicum exponit Herus ; & major sāpe cura est Hero de quo infirmo , quām ægrotante famulo.

27. *Math. 25. v. 10.* *Dum autem irent, emere, venit Sponsus.* ergo habuerunt pecuniam, si iverunt emere. quare ergo dixerunt ad socias: *Date nobis de oleo vestro?* cur non dixerunt: *vendite?* ¶ Causa est, quia Virgines illæ fatuæ avaritiâ laborabant, quæ semper tenax est; & quis scit, quot præterea vitiis sorduerint? Nam ubi auri, vel argenti unum granum est, sæpè ubertim proveniunt scelera; quid ni ubi plus? & quo quis ditior, eò avarior. Cui prodest avarus, si etiam filios suos, edere lamentatur? qui sæpè, antequam grossum expendat, vadit cubitum incænatus. Optimè dixit, qui dixit: *Nec porcus nisi macletur: nec avarus, nisi moriatur, ulli prodest.* Nec sibi; nam avarus quidquid omnibus abstulit, sibi ipsi negat. *Senec. quæst. 9na.*

28. *Math. 25. v. 11.* *Domine Domine aperi nobis.* Quare non sponsam, vel socias vocant, ut aperiant? Cur id saltem à famulis, vel ancillis non petunt? ¶ Sponsam non vocant, quia cum peregrè advenerit, erat illis ignota: socias alloqui non præsumpserunt, quia cum prius oleum nega-

negaverint, putarunt se non exaudiendas, ut aperiant. Famuli, & ancillæ insolens plerumque hominum genus; à Dominis sæpè quis facilius exauditur, quam à famulis; sæpè fastu majore servus tumet, quam Dominus: ergo potius ad Dominum recurrunt. quod si Dominus non exaudierit, æquiori saltem animo acceptam ab illo, quam à fainulo, vel ancilla, ferent repulsam.

Honorati mox post unam, vel alteram horam, non recordantur amplius socii, Fratris, Genitoris, qui foris stant, etiam si pulsent, porta non aperitur; honorata visum attenuat, ut nec uno gradu distantes ultra cognoscat: sæpè fit, quod si forte cum honorato cognitionem alleges, præ indignatione ferè crepabit.

*Math. 26. v. 35. Etiam si opportuerit 19.
me mori, non te negabo.* Quæritur, quid Petro persuaserit, ut se nihil perperam commissurum certò putaret? Causa est, quia nimium sibi tribuebat Petrus. Et ut inquit Chrysost. Hom. de negatione Petri Tom. 5. putans Petrum talia locutum: *Michi ipsi præfidens, vociferor.* Occultum, sed malignum vitium confidentia sui, & temeritas, quæ

per cuniculos in præceps dicit. Nemo sibi fidat opibus, ingenio, viribus, prudentiæ, doctrinæ, potentia. Enī Apostolus Petrus præfidus, turpissimè ter lapsus, & semper gravius: primò negavit, dein & juravit, demum cum detestatione anathematizavit, quia non novisset hominem. His veluti scalis, ad scelus ascenditur, tanto pejus, quanto altius. Cui capitis sui sententia est pro vitæ regula, quid potest expectare, nisi sui præcipitium. Nemo sibi facile credere debet, sœpè enim latet occultum vitium, quod experientia manifestat. Multi se sobrios, patientes, humiles, putant, at ubi occasio adest, intemperantes, furiosi, superbi deprehenduntur.

20. *Math. 26. v. 40. Venit ad Discipulos suos, & invenit eos dormientes. Et v. 42. Iterum secundò abiit, & oravit, & venit iterum.* Quare Christus suscepimus cum Patre æterno colloquium, seu Orationem, iterum, atque iterum interrupit? *v.* Voluit nobis Christus inculcare doctrinam, inquit: *Simon de Cæsaria, & nos docere, ob majorem necessitatem.*

cessitatem quandam, nonnunqnam inter-
mittendam orationem, & seponendas
preces, quando res postulat, ut cum
vel dormientem excitemus, vel negli-
gentem stimulemus. Non est bona Ora-
tio Parentum, qui maximam diei par-
tem in Templo exigunt, & proles suas
domi in periculo famæ, & honoris re-
linqvunt: si quis permittat flammis ædes
absumi, & audiat concionem, quæ
alio tempore audiri potest, non est bona
doctrina. Servetur sanctum illud Ada-
gium: **D E U S** relinquendus propter
D E U M.

*Math. 26. v. 75. Et egressus foras 21.
(Petrus) flevit amare. Quærit curio-
sus , an Sanctus Petrus satisfecerit pro
peccato negationis ? Ratio dubitandi est,
quia S. Ambrosius in cap. 22. Lucæ sic
loquitur: *Lacrymas Petri lego , satisfa-
ctionem non lego ?* w. S. Petrum utique
satisfecisse. Ad rationem dubitandi dico:
Nomen satisfactionis eō loco apud S.
Ambrosium , non significare satisfactio-
nem , quæ Pænitentiæ pars est , sed
populariter accipi pro excusatione, quæ
verbis fieri solet. Nam satisfacere alicui*

vulgò dicimus , apud illum se verbis purgare. Petrus ingenuè fassus est peccatum , & non satisfecit , id est : non se excusavit.

Si Petrus pro trina negatione tam amarè flevit , quanto plus tu pro mille negationibus flere debes ! quoties enim mortaliter peccasti , toties opere Deum negasti. NB. Quòd , et si Petro hoc peccatum remissum sit , non tamen cessavit totâ vitâ singulis noctibus ad Galli cantum amarè flere ; ut præ continuis lacrymis , oculi ejus sanguinei , & genæ exsæ fuerint , ut testatur Clem. Alex. Hinc , & Pictores sanguineis ipsum oculis depingunt.

22. *Math- 27. v. 33. Et venerunt in locum , qui dicitur Golgotha , id est : Calvariæ locus.* Quæstio est , undè locus ille dictus sit Calvariæ ? *v.* Ità dictum ex eo , quòd traditio sit , in Golgotha sepultum fuisse Adamum , quem Christus ibidem Sanguine suo distillante redemit. Ita Origenes , S. Athanas. S. August. & alii ; S. verò Hieronym. Beda , Jansenius vocant Calvariam montem ex eo , quòd ibi locus fuisset suplicii , in quo rei plectebantur , & decollabantur ; undè ibi multorum decollatorum Crania erant. In hoc monte , dicit Beda ex Hie-

Hieronym. & August. serm. 71. de Tempore , Abrahamum immolasse filium suum Isaac.

Ascendamus & nos crebris cogitationibus ad hunc montem Domini, in quo salus mundi, Patri mundum reconciliavit : & descendamus de monte superbiæ , gloriæ , & honoris, super quem nec ros , nec pluvia divini Sanguinis cadit.

*Math. 27. v. 52. Et multa corpora 23.
Sanctorum, qui dormierunt, surrexerunt.
Quæritur, an iterum mortui sint, &
corpora eorum in terræ pulverem redie-
rint? ¶ Non est una omnium circà hoc
opinio. Remigius, & Beda dicunt:
quòd cum Christo ascende, ascen-
derint in Cœlum. Alii dicunt, quòd
mortui sint, sine tamen dolore. S. Hie-
ronymus circa hanc quæstionem est
dubius. Sinamus, & solutionem quæ-
stionis committamus Deo. Melior est
fidelis ignorantia, quàm temeraria sci-
entia. August. super Mathæum sermo.
22. Magis tacendum, quàm aliquid
imperfectè dicendum.*

*Math. 27. v. 58. Hic accessit (Joseph 24.
ab Arimathæa) ad Pilatum, & petiit
Cor-*

Corpus Jesu. Tunc Pilatus *jussit reddi Corpus*, Quæritur, an Joseph dederit aurum pro redimendo Corpore Jesu? videtur, quod non dederit. quia S. Marcus dicit, quod Pilatus donaverit Corpus Joseph: donare autem, est gratis, & absque pretio aliquid concedere. Theophilactus in cap. 28. Math. sic dicit: *Quum Joseph dives esset, verisimile est, quod Pilato aurum dederit.* Nam cum Dominus facinorosi hominis, & turbulenti, existimatione apud Iudeos laboraret, valde arduum fuit impetrare, ut honorifico sepulchro inferri posset; haec autem difficultas, nullare, ita auferri potuit, ut auro. Nec obstat, quod ex S. Marco citatur, quia cum divinum illud Corpus esset tam ingentis pretii gemma, & inestimabilis valoris margarita, quantumvis auri, rerumque aliarum pretiosissimarum pro illo dedisset, velut donatum gratuitò à Pilato accepisset. sic dum hodie videmus rem aliquam pretiosam, pretio medio emptam, dicimus esse donum.

Ludolphus, & ex illo Mallonius de S. Syndone, Cap. 1. dicit: Josephum ab Arimathæa servivisse Pilato Aunis quinque, & pro

pro tota, quæ ei debebatur mercede, petiit
Corpus JESU. Utinam hodie multi sint Jo-
sephi ab Arimathæa, & nullus Joseph ab
avaritia!

*Marci 5. v. 8. Exi Spiritus immuni- 25.
de ab homine.* Dubium est, quare Christus
in singulari Dæmonem alloquitur: Exi.
Quem cùm interrogasset, quomodo voca-
retur, respondit: *Legio mibi nomen est,
quia multi sumus?* ¶ Quia, ut inquit
Euthymius: *Multis dæmonibus imperat,
quasi unus esset, propter imbecillitatem.*
Diabolus tam est infirmis manibus, tam
imbecillis, ut nisi nos ipsi arma præ-
beamus, nullò nos certamine vincet;
rugit, ut leo, sed ut inquit S. Cyrill.
Alexand. lib. 1. Apologorum Cap. 16.
*Qui clamoribus utitur, à Sapiente minimè
timetur.* De nostra imbecillitate nascitur
dæmonis præsidentia. Quod musca
nos subigit, hoc nostra ignavia, &
inertia facit, non illius fortitudo. quò
generosior nostra est resistentia, eò timi-
dior est diabolica invasio,

*Marci 6. v. 31. Venite in desertum 26.
locum, & requiescite pusillum.* Quare
non dixit: redite ad prædicandum,
con-

concionandi laborem , & profectūs aliorum studium repetite , sed , requiescite pusillum . ¶ Voluit animum Discipulorum relaxare ex prædicandi labore defatigatorum , ut non intemperanti labore vires suas totas conficiant , sed functioni suæ tam temperanter vacent , ut diu dare operam aliorum institutioni possint . Qui enim robur suum omnes simul exhaurit , ineptum se , ad obeunda post hæc prædicationis munia reddit . Rosa Regina florū , quod odoris plurimum fluxum emittat , citò marcescit , ut dicit Clemens Alexandrinus Lib. 2. Pædag. Cap. 8.

27. Marci 9. ¶ 14. Et confestim omnis *Populus videns Jesum* (descendentem de monte Thabor) stupefactus est , & expaverunt , & accurrentes salutabant eum . Quid movere potuit Populum , ut iis tunc cæremoniis , & civilitatis officiis erga Chilum uteretur , quibus nunquam prius usus fuerat ? ¶ Quia , ut inquit Card. Cajetanus , potuit accidere , ut dum in monte Thabor facies ejus resplendesceret sicut sol , vestimenta vero ejus alba fuissent , sicut nix , ipsi de-

mon-

monte descendenti , pulchræ aliquæ reliquiæ istius nunquam visi splendoris remanserint , quas reliquias vocat *attractivum* in JESU . Et nisi aliquid plus solito , populus in Christo vidisset , nunquam plus aliquid solito erga illum gesisset . Sic Moysi etiam post DEI colloquium in vultu adhæserunt radii , & quasi cornua lucis , Exod . 34 . v . 29 .

Multos hodie videbis , qui hominem sequuntur , comitantur , salutant , comiter habent , nihil horum antehac facere asueti ; sed vereor , ne attractivum aliquid viderint , & Magnetem quæstus , lucri , & particularis commodi habeant , ut faciant , quod nunquam fecerant .

Marc . 9 . v . 24 . Surde , & mute Spiritus , ego præcipio tibi , exi ab eo , & amplius , ne introeras in eum . Quæritur , quare Christus huic , præ aliis , Dæmoni tam singulare præceptum ad exeundum dat : Ego præcipio ? & quod plus : & amplius non introeras in eum ? v . Causa est , quia hic Dæmon ab infantia hominem hunc occupaverat , atque apud illum inveteraverat , ut proinde radices in ejus corpore egerit , hinc præcepto illum primò , ut exiret cogere , deinde

ne rediret , prohibere Christus voluit , ut ostendat , quām operosum sit , illum à tam diuturna possessione exturbare , & quām arduum cavere , ne repetat dominum in qua diu habitavit.

Hoc tibi evenit in peccato , dum illud Animam tuam occupavit , & relinquas , donec crescat , & augescat ; vix se eradicari finit , vix expelli permittit , validiusque adhærescit , quām Dæmon , cūm hic se per vim intrudat , peccatum verò sponte à te admittatur , & introducatur . Difficilis medicatu hic animæ morbus , cui impedimenta multa occurunt ; obstat enim voluntas , quæ infirmitatem suam vel amat , vel non timet : obstat & Dæmon , qui infirmam animam manutenet , si peccatum radicem figat;

29. *Marc. 14. v. 37. Simon dormis ? non potuisti unā horā vigilare. Cur Christus non dixit : Petre dormis ? v. Quia Petri nomen , est nomen Pastoris , Superioris , Judicis &c. Unde dormientem Petrum , detrectavit Christus Dominus nominare Petrum. Nam Pastor , Superior , & Judex honorificō nomine indignus est , si otio torpens , commodo suorum subditorum non invigilat. Hinc Sancta Mater Ecclesia nūnquam in Sacro elo-*

eloquio examini apum comparatur. Quare ? quia , ut inquit *Lorinus* in Psal. 100. Apum Rex nunquam foras ad labores egreditur , sed intus manens , emitit alias ad flores quærendum , qui modus non est conveniens Ecclesiæ Prælatis , quos decet in laboribus alios anteire.

*Marc. 14. v. 72. Et recordatus est 30.
Petrus verbi, quod dixerat ei JESUS.*
 Quomodo tam citò oblivisci Petrus potuit cantaturi galli signum , ut cùm semel , iterumque negaret , & gallus fucinaret , non recordaretur verborum Domini sui ? *v. Quia , ut dicit Euthymius : Dictum verbum præ timore exciderat.* Multi erant , qui Petrum exagibabant , & accusabant , & hinc quidem focaria puella, illinc circumstantes barbari Ministri vellicabant , & infestabant , & ne quidem liberè respirare sinebant. Et quamvis gallus semel cantaret , Petrus tamen non recognoscitabat Domini comminationem , nec audivit galli primum cantum : Sic metus, vexatio , & turbatio animum distraxit , & memoriam ademit.

Si Petrus intra tam exiguum tempus oblitus
fuit Verba Christi ob metum, & vexationem
hominum, ut præfens sibi non esset, quomodo
tu tibi compos eris in hora mortis, quando
infirmitatis dolores prement? quando phren-
esis memoriam, mentemque auferet, &
delyrium adferet? quando tot te peccata
accubabunt, tot Dæmonia exagitabunt; Mundus
vocabit, caro trahet, curæ angent?
Tu ne tibi in tanta sensuum turbatione tran-
quillitatem promittis, ut rationes tuas ulti-
mas rectè, tutò, & securè componere possis?
Cras credam, hodie non.

31. *Marci 15. v. 21. Et angariaaverunt*
--- Simonem Cyrenæum --- ut tolleret
Crucem ejus. Quæritur, an genus Mi-
sericodiæ, seu miserationis in Christum,
vel crudelitatis in ipsum fuerit, impo-
nere Crucem Simoni? v. Fuisse crude-
litatis; verebantur enim Judæi, ne
Christus succumberet oneri, & exani-
maretur, sicque corrueret sub pondere,
& morte suâ præverteret Crucis tormentum: ubi enim observarunt Christum tam
lente, tamque fracto gressu incedere,
toties sub onere collabi, decreverunt
Crucem ab ipso in Simonem Cyrenæum
transferendam. Ecce percutitur cattus,
ut Sentiat Leo.

Si Simoni, Crucis non sponte gestatæ laborem magnis favoribus remuneratus est Christus, duos Filios ejus Alexandrum, & Rufum assumendo in Discipulos; quantâ gratiâ dignabitur illos, qui sponte Crucem tulerint, cum patientia ipsorum sequentes?

Marci 15. v. 44. Mirabatur, si jam obiisset. Cur Pilatus mirabatur de Obitu Christi? *v. Quia, ut loquitur Euthymius:* Sperabat illum tardè moritum, tanquam divinum quemdam hominem, qui cæteros excederet. Quasi diceret: Nenini nova videatur Pilati admiratio, de tam celeri obitu Christi, quia ille Dominum supra homines, & Virum divinum arbitrabatur: ut qui prodigiosa ejus miracula noverat, & stupendas virtutes intellexerat, mirabatur, quod animam in Cruce egisset.

Qui de bonis hominibus mala, & quæ fidem existimationis illorum obscurent, narrari audit, debet ante plurimum admirari, quam credat: & talia referentibus, vel nunquam, vel ægrè, ac tardè fides adhibetur. Multa in utramque partem crebrò fama mentitur, & tam de bonis mala, quam de malis bona falsorum ore concelebrat. *S. Hyeron. Epist. 131. ad Ruff.* Quam fama velox, tam plerumque etiam mendax. In delationibus,

præstat agere Personam Thomæ increduli,
quam creduli Petri.

33. *Lucæ I. v. 7. Non erat illis Filius.*
 Cur non sic dictum: Non erant illis filii.
 ¶ Ut doceremur non esse omnem felicitatem in eo positam, ut quis multos numeret filios, qui plus uno non valeant, sed hanc esse eximiam felicitatem, si cui sit unicus filius, qui multos adæquet, in quo uno sit, *Numerositas congesta Virtutum*, ut dicit Chrysologus serm. 86.

Quid utilitatis habes, si mille Rosaria cum desidia, et mentis evagatione persolvias? Profectò illis mille, plus valet unum Ave Maria attentè, devotè, & perfectè recitatum. Nam, ut inquit Plato in Theæreto: Satiis est bene agere aliquid exiguum, quam multa perfuntoriè. Dum tuâ culpâ per curiositatem distraheris, reus es, et si diu non haeres, non enim ideo non cecidisti, quia citò surrexisti.

34. *Luc. I. v. 13. Uxor tua Elisabeth pariet tibi Filium.* Quæritur, Cur non sic Gabriel dixit: Uxor tua concipiet & pariet? ad eum modum, quo dixit ad Mariam V. *Ecce concipies, & paries Filium.*
 ¶ Innoc. III. serm. de Nativitate S. Joannis Baptistæ, causam esse hanc, quia conceptus æque,

æque, ac partus Mariæ, absque omni peccato fuit, ideo dicit: *concipies, & paries.* At quia Elisabeth Joannem in originali peccato conceptura erat, cùm hoc sit probrum Jure hæreditario ad nos transmissum, Arch-Angelus Gabriel, silentio pertransiit illud de Elisabeth dicere: *Ecce concipies.* quia parùm honorificum erat, cum noxa concipere.

Ecce! Angelus noxam Elisabeth silentiō tegit, & homines otiosi à primo diluculo in serum vesperum, alienam famam arrodrunt, & de erratis aliorum disferunt. *Hoc opus eorum, qui detrahunt mihi. Psal. 108:*

Luc. 1. v. 40.. Et intravit in domum 35. Zachariæ. Quæritur, quomodo Maria dignata est intrare in domum Zachariæ, qui in pœnam incredulitatis suæ privatus fuit usu loquelæ? v. Mariam Virginem dedisse nobis exemplum, non debere odio haberi innocentem propter peccatorem; hinc Elisabeth propter Zachariam virum suum, non debuit privari Mariæ ingressu in domum. Sic & Christus sinebat sibi vincula injici, non sinebat tamen injici Apostolis, dicens: Si me quæritis, finite hos abire. Joan. 18.

v. 4. quasi diceret : si in me est aliquod delictum , habetis me ; istorum quia nullum est delictum , nullum mihi comprehendite . Nam propter Caput , non debent pati membra , minus propter membra aliqua , totum corpus , quid modo faciunt Christiani ? Hoc : quando unum Christum Domini , in aliquo delicto comprehendunt , reliquos non sinunt abire innoxie , sed omnes rapiunt , & linguâ maledicâ percutiunt .

36. *Luc. 2. v. 1. Exiit edictum à Cæsare Augusto, ut describeretur universus Orbis.* Qua intentione Cæsar Augustus orbem universum describi , & censum agi singularem ubique Provinciarum jusserit ? *v.* Hac Causâ descriptionem factam fuisse , inquit Cornel. à Lapide , tum , ut constaret numerus hominum Augusto subjectus , tum ad vectigal collendum , quod in Ærarium Romanum , tot bellis exhaustum inferretur , singuli enim Capitalis sui censum dabant . Alii dicunt , quod cum Christus Anno Imperii Augusti natus sit , rationem administrati Imperii posteriori Domino (Christo Messiae) sibi reddendam metuebat . Et ideo , ut

tradit Cſor: lib 6. Cap. 22. Tempore,
quo Christus natus eſt, Augustus, Do-
minum ſe hominum apellari vetuit, ex
divina forte revelatione edocitus, natum
eſſe verum Dominum totius generis hu-
mani.

Quod omnes Cæſari censum ferant, ſigni-
ficat omnes pro virili, Deo fructus adferre
debere, non corporales tantum per beneficia,
ac Sacrificia, sed & ipirituaſes per contem-
plationes, & operationes: Deus enim minùs
Sacrificiorum noſtrorum, quam fidei, obe-
dientiæ, ac bonorum operum rationem
exigit.

*Luc. 2. v. 7. Quia non erat eis locus 37.
in diversorio. Quid Beatam Virginem,
& S. Josephum impedivit ab habendo
loco in diversorio? v. Hoc impedivit,
quod in Bethlehem Urbe tam parva,
unum tantum fuit diversorium, ad quod
hospites omnes, & advenæ diverterent:
quod proindè affluente turbâ, facile
impleretur; ut plures non caperet.*

Si cor tuum ad amorem Dei dilatares,
facile ibi per gratiam hospitaretur tota
Sanctissima Trinitas; certè, niſi Deus
habitet in domo cordis nostri, nos non
habitabimus in domo æternitatis Beatæ.

38. *Duc. 2. v. 21.* Et postquam consummati sunt dies octo, ut circumcidetur Puer. Quæritur, quare circumcisus? *v.* Varias esse causas circumcisionis divini hujus Fusionis: inter quas, hæc mystica esse potest: ut Parentes mundani à molli nimium, prolium suarum educatione, hoc exemplo correcti, desistant; & omnem ipsis praetextum, prolium suarum bonam educationem, nescio in quos annos differendi, vel planè intermittendi, precludat, & adimat.

Berchorius Tom. 2.lib. 10. Cap. 37. narrat, quod Elephantes juvenes suos diligenter custodian; & quando ad flumina abeunt, eos ante se agunt, tum lavare illos docent. Sic debent facere Parentes: Proles suas debent observare, debent præ oculis habere: debent ad flumina confessionis, & devotionis ducere; non ad lacunas scelerum: debent docere diligere munditiam mentis, & corporis, non fordes luxuriæ, & inverecundiæ. Elephantes non docent juvenes suos vina potare; & Parentes, eheu! prolibus vix balbutire incipientibus vinum fugendum offerunt En! Puerulus JESUS, circumcisus Sanguinem fundendo, incipit pati; & nos à primula ætate incipimus deliciari.

39. *Luc. 2. v. 47.* Stupebant autem omnes,

omnes , qui eum audiebant super prudenter & responsis ejus . Quare non super interrogationibus , cum certum sit , quod Christus non solum interrogabatur , sed etiam interrogaverit ? **N.** Quia , quod quæritur , discuti , & expendi ante potest , & dubitare facile est etiam pueris : At responsio , non ita parari , & adornari ante potest , quod nemo , vel scire possit , quid sit interrogandus , vel tam in promptu habere scientiam , ut omnibus ex tempore satisfacere possit quæsitis , & cunctas enticulare valeat difficultates .

Quid prodest , si præcisè mireris , & stupeas doctrinam Christi , & opere non impleas , quæ tradidit ? quid prodest si Christiani nomen habes , & facta non habes ? quando Concinator immensa Coeli gaudia , inferni pœnas &c. operosè probat , summum , quod ab Audi oib[us] obtinet , est , quod stupeant , opera autem ostendunt , quod non credant : è contra , quando delator aliquid asserit , quamvis non probet , illico , & stupemus , & credimus . O quam pessimè .

Luc. 2. v. 51. Et erat subditus illis. 40.
 Quis ? quibus ? **N.** S. Bern. Hom. 1.
 super missus ; DEUS hominibus ; Deus , inquam hominibus se subdit ; & tu do-
 mina-

minari gestiens, tuo, te præponis Crea-
tori? quoties enim hominibus præesse
desidero, toties DEUM meum præire
contendo, ut tale mihi aliquid Domi-
nus respondeat: Vade post me Sathan,
quia non sapis ea, quæ DEI sunt,

Sed quid est, quod Christus, cùm duodecim esset annorum dicatur subditus Josepho, & Mariæ? an non etiam ante subditus fuit? nec tamen exprimit Evangelista, nisi anno duodecimo, dum sedit in medio Doctorum. R. Fuit etiam antea subditus illis, modo tamen exprimitur, ad exemplum nobis dandum; sed quis sequitur? nunc apud homines, qui Cathedram honoris, & sedem doctoralem aquirit, non quilibet vult amplius subjici, sed præfici: cumque id asse-
quitur, vix habes eum promptum, & obe-
dientem; vult adorari velut Aman, & ut coram eo surgat Mardochæus.

41. *Luc. 5. v. 3. Et sedens docebat de Navicula turbas.* Nunquid poterat sine navi pedibus super aquas stare, & hoc miraculō sibi autoritatem in prædicando augere? cur de navicula turbas docet? R. Quia si pedibus siccis super aquas stetisset, & prædicasset, auditores mirati fuissent miraculum, & non attendissent ad Verbum Christi: audi-
tum

tum avertissent, & fixis oculis, hoc miraculum solum aspexissent. Hinc mentem non distractam, sed attentionem verbo DEI voluit debitam.

Utinam verbo Dei dum Concionatores illud deprædicant, intenti essemus! sed fit, proh dolor! quod plurimi, quis Concinatorum modus, quis gestus, quis dicendi apparatus sit, censurent; si pro ipsis loquantur, prudentissimos illos dicunt, si contra ipsos pronuntient, stultissimos criminantur.

Luc. 5. ¶ 6. Concluserunt piscium 42. multitudinem Copiosam, rumpebatur autem rete eorum. Mira res! rumpebatur rete eorum! cur pisces aperto exitu, non egrediebantur? ¶ Lyran. in illud caput dicit: duo ibi miracula accidisse: unum; magnam piscium multitudinem suprà modum virium humanarum conclusisse, alterum, illam multitudinem teneri virtute divinâ in reti rupto.

Vide quid prosit esse cum Jesu! benedictio sequitur affecas Jesu. Sinè Jesu tota nocte pescati, nec fundulum cœperunt, cum JESU conclusserunt multitudinem copiosam, nec tamen ex reti rupto exeunt pisces. Hoc accedit Religiosis, perpetuo Religionis vinculo, & veluti carceri se se obstringentibus; qui

qui cum sœpè habeant occasionem , si velint , egredi , non tamen faciunt ligati Dei imperio , & suá , propter Deum voluntate .

43. *Luc. 7. v. 14. Adolescens , tibi dico surge.* Quæritur , cur Christus hunc Adolescentem leni appellatione à mortuis excitare voluit ; ad Lazarum verò *Joan. 11. v. 43.* resuscitandum voce magnâ clamavit : *Lazare veni foras ?*
v. Quia cum adolescens ille , recens è vivis excesserat (*Maternus* vocabatur) & neccum possessionem tumuli accéperat ; Lazarus verò quadriduanus in sepulchro jacuerat , ut etiam putorem exhalaret , majores Lazari resuscitatio spiritus , & acriores , vehementioresque voces exposcere videbatur , quàm illa adolescentis , ut ut Dominus eadem facilitate utrumque vivificare valuit .

Voluit Christus Confessarios docere , non eodem modō erga peccatores , in his duobus defunctis , præfiguratos , se gerere debere , sed aliter cum recenter laplo , aliter cum inverterato ; cùm recens mortui poenitentis conversione , non habet opus magnis vocibus , sive duris increpationibus : at quando occurrit Lazarus malè olens , inveteratus in peccatis , tunc stringendis mucro , tunc acuenda pia indignatio , tunc vox extollenda , ut Lazarus ex tumulo peccatorum educatur .

Luc.

Luc. 10. v. 35. Protulit duos denarios, & dedit slabulario. Exiguum pretium! quare ita exiguum dedit? quid duo denarii? v. Dedit non plus, quam duos denarios, quia tunc ad victimum necessaria, levi pretio vendebantur, inquit Menochius. Tum quia Homo ille, primò heri fuit vulneratus, & adhuc heri medicinali vinō, & oleō fuit refocillatus; tempestivè illi fuit medicina applicata: ergo cura, paucas expensas requirebat.

Quod de morbo corporis dicitur, hoc de morbo animæ sentiendum. Morbus animæ si recens sit, facilè curari peteat; medicus spiritualis adhibendus est, ne quidem denarium exiget. Quodsi animæ morbus diuturnitate temporis inveteraverit, præscribet dæmon. Sicut enim homo præscriptionem acquirit possessione longi temporis super rem possessam; sic & dæmon præscriptionem videtur acquirere possessione longi temporis super peccatorem inquit Thom. Anglicus in Psal. 27. v. 44.

*Luc. 10. v. 41. Martha, Martha 45
solicita es, & turbaris erga plurima.
Porro unum est necessarium. v. 42 Quæritur,
quis sermonis hujus ad Martham,
sensus? v. Hunc esse, quasi Christus
diceret: Turbaris erga plurima, ut mul-*

ta mihi fercula apponas; porro unum est
necessarium, unum nempe cibi genus,
unum mihi sufficit: non mensam requiro
opiparam; escam communem, & facile
parabilem opto; hoc enim mihi dictat
temperantia, hoc meum paupertatis
studium.

Nunc eò mores devenere inquit Plinius
lib. 26. cap. 8. ut homo, maximè cibô
pereat. Nam nec Avibus sui volatûs perni-
citas, nec aliis animantibus sua currendi ve-
locitas: nec sua Piscibus solitudo, confert,
ut evadere possint. Omnia enim quæcunque
volant, currunt, natant, perquiruntur,
procurantur, & misero deputantur ventrículo,
qui bona hæreditaria, & census annuos, in-
columitatem, ætatem, vitamque depauperant.
Cui aliquando victus parsimonia, & sacrum
abstinentiæ studium nocuit? quis in carce-
rem ob debita, ex jejuno contracta compa-
ctus fuit? nullus hoc sol vidit, non audiavit
mundus, à quo esse cœpit.

46. *Luc. II. v. 9. Petite, & dabitur
vobis.* Quid causæ subesse potest, quòd
Deus cunctanter subinde precibus nostris
ocurrat, & neget, quod petitur? ¶ Negat quandoque Deus, quod petimus,
non quòd generosa illius indoles, non
sit dandi cupidissima, sed ne leviter dissili-
pemus

peimus Dona illius , & sint infructuosa
 beneficia ; novit enim hominum genium ,
 scitque , quæ nullo negotio obtinentur ,
 ita per oblivionem ab iis contemni , ne-
 que satis reverenter haberi ea , quæ abs-
 que lassitudine inveniuntur , & sinè labore
 obtinentur . Et quoniam ex contemptu
 beneficii nascitura est pœna supplicii ,
 ideo misericorditer differt Deus concessio-
 nem eorum , quæ suspiramus , ac peti-
 mus , ut majorem apud nos habeant
 venerationem , & existimationem , facile
 namque de pretio suo cadit , quod facile
 invenitur . *Omnis curatio , quanto di-
 fficilius aquiritur , tanto aquista , cauti-
 us custoditur.* inquit Sanctus Gregorius
 Papa . Et Tertull . *Attentè custoditur ,
 quod tarde invenitur.* Fit etiam , quòd
 non exaudimur sed nos prius hunc lu-
 sum cum Deo lusimus . Quoties Deus
 januam pectoris nostri pulsat ? & nemo
 aperit , nemo admittit ; hinc vices red-
 dit : ut quid ergo cœlum esse æneum ,
 & Deum , vultum suum abscondisse ,
 querimur ?

*Luc. 12. v. 52. Erunt ex hoc quinque
 in una domo divisi , tres in duos , & duo in*

47.

O

tres.

tres. Qualis hæc divisio? R. Divisonem hanc esse dissensionem, separationem, & oppositionem, ut sensus sit: in eadem domo (quinque scilicet) Pater, Filius, Mater, Filia, & Nurus) tres infideles, insurgent in duos fideles vel duo infideles in tres fideles. V. G. Pater & Filius in Christum non credentes, insurgent in Matrem, & Filiam, ac Nuru[m] credentes in Christum, aut è contra.

Nonne & nunc Parentes in Filios insur-gunt? dum eos ad iracundiam provocant, & diris execrationibus invadunt. Filii Paren-tes suos parum honori habent, & nullo re-verentiæ obsequio prosequuntur, sed animo-rum dissensioni ansam dant suâ obstinatiâ, & maledicâ loquacitate.

48. *Luc. 14. v. 20. Uxorem duxi, & ideo non possum venire.* Quæritur qua-re nō addit iste: *babe me excusatum,* sicut duo priores addiderunt? *v.* Quia solum peccatum carnis est, quod mini-mè palliat se sub specie virtutis, & mi-nimè excusatur; & tamen secundum ve-ritatem magis est excusabile ob majorem pronitatem concupiscentiæ juxta illud: *Video liam legem in membris meis repu-gnantem legi mentis meæ, & captiv'an-*

tem

tem me in lege peceati: Rom: 7. & ideo dicit: non possum venire. Mentitur tamen; quia et si sit concupiscentiæ servus, potest facere, quo facto habeat gratiam, per quam habeat domandi concupiscentiam. Nam dum Paulus diceret: *infelix homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus?* Subjungit: *Gratia Dei per Jesum. Christum Dominum Nostrum.*

Luc. 15. v. 1. Erant appropinquantes ei Publicani, & peccatores. Quæritur, cur non dicatur: erant *accurrentes* sed *appropinquantes?* *v. Dicuntur appropinquare,* quia lento passu ad Christum accedunt, & hoc præ pudore ob scelera, vel timore. Solet enim Diabolus peccatoribus ad conversionem inclinantibus Deum valdè terribilem depingere, ita ut illos à bono proposito sæpè sæpius deterreat. Antequam hominem ad peccatum inducat, depingit ipsi Deum totum misericordem, & ex omnibus Rheticæ flosculis fugit, ut sapidiùs mel conficiat, quo suavius mentes humanas pascat: at postquam in grave peccatum induxit, accedit ad depingendam Dei justitiam cum implacabili justitiæ Divi-

næ rigore , donec in æternam claudantur lumina noctem.

50. *Luc. 15. v. 5.* *Et cum invenerit eam, imponit in humeros suos.* Quare humeris imponit ? potuit enim inventam Ovem , vel virgā minari , vel ictibus ingreget agere. ¶ Humeros parat , quia hoc boni , & præclari , Pastoris est indicium , quòd priorem bonitatem obtulit erranti. Ille est bonus Pastor , qui ove in perditam ad caulas dominicas mavult propriis humeris reportare , quam stimulis urgentibus revocare ; & non statim virgam , non statim stimulus monstrat , sed humeros adhibet , quibus lassam ovem sustentet.

Docentur hōc exemplō Parentes , & Superiores , ne illi cum ove domestica , ne isti cum sibi subdita , si quando errare contingit , crudeliter agant in reducenda ; melius enim est , inquit Chrysost. propter misericordiam dare rationem , quam propter crudelitatem succumbere poenitentem.

51. *Luc. 15. v. 23.* *Citò proferte stolam , & induite illum.* Quæritur , quare non præcepit lavari filium prodigum ? Subulcus necessariò sorduit , & fœtuit. ¶

Non

Non lavatur ; quia illa cognitio sui adepta post redditum in se , illum totum jam ita mundaverat , ut nihil lavandum superfuerit. Vel si quidquam sordium etiam remansit , noluit tamen Pater hoc de illo abstergi , ne illo absterso auferretur ipsi species necessaria ad plenam sui cognitionem. Pater ille vult filium hunc deinceps securè , sempérque possidere : ergo vult illi sordes aliquas v. g. in manibus relinquere. Si enim incidet filio aliqua tentatio denuò discedendi , vellicabunt illum manus sordide , & dicent : ergóne iterum obliviscēris tui , & molieris abire ex domo Patris ? vide manus , quales nuper attuleris ! vide quis sis , quis fueris , & mane , ubi es.

Multi multa sciunt , & seipso nesciunt , cùm tamen summa Philosophia sit cognitione sui , inquit Hugo libr. 2. de anima cap. 9. Summa Philosophia , adeoque magistra contemptus sui , & mundi ; magistra sub qua moderatis passionibus omnibus , vitia extirpantur , virtutésque implantantur. Habes cognitionem tui ? utinam sic discurreres : ego talis ! & talis DEUS ! & ego talis , talem offendit ? quæ mea insanía , ut abjectissimus pulvisculus ego , & vilissimus vermiculus surrexerim contra cœlum , & terram.

52. *Luc. 16. v. 1.* Homo quidem erat di-
ves; qui habebat Villicum: & hic diffa-
matus est apud illum, quasi dissipasset bona
ipsius - - redde rationem villicationis
tuæ; jam enim non poteris villicare.
Quæritur, quare illum ab officio depo-
nit? delator tantum dixit: *Quasi dissi-
passet*, non autem quod dissipaverit.
Quid si inanis rumor, & villicus inno-
centiam probet? *v.* Villicum hunc fuisse
in Præfectura, & ideo ad solam relatio-
nem, *quasi dissipasset*, Pater-familias pe-
tit rationem, & ab officio removet; quia
nimicum Præfectus immunis esse debet
ab omni nævo: tam debet esse probus,
ut nec in illum cadere debeat suspicio,
quasi hoc, vel illud minus debite ege-
rit; alias indignus est Præfecturā, qui
in Præfectura suspicionem criminis incur-
rit; missitatur autem modò de Villico,
quasi dissipaverit: ergo quia suspicantur
aliqui Villicum esse infidelem, indignus
est Præfecturā. Præfectis in officio, vix
sufficit commune sanctorum; debent ha-
bere proprium.

53. *Luc. 17. v. 10.* Cùm feceritis omnia,
quæ præcepta sunt vobis, dicite servi
inuti-

inutiles sumus. An sensus horum verborum sit, ut nos veluti servi inutiles, nihil nostris meritis, & laboribus mereamur? *¶* Sensum prædictum esse hæreticum. Nam Christus suos famulos non vocat simpliciter inutiles, alias non diceret: *Euge serve bone, & fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, super multa te confituum, intra in gaudium Domini tui.* Matth. 25. v. 23. Sed monet, ut quisque fidelis se vocet servum inutilem ad vitandam vanam gloriam, & ad manus humilitatis incrementum æque, ac meritum. Vel secundò: nos servos inutiles vocare debemus; quia si actiones nostræ, in se præcisè, uti ab homine manant spectentur, inutiles sunt ad promerendam Dei Gloriam, juxta illud ad Rom. 8. v. 18. *Non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram Gloriam.* Discamus ergo in omni opere bono agnoscere infirmitatem nostram, omnémque illius bonitatem, & dignitatem tribuere gratiæ Christi.

Luc. 19. v. 4. Et præcurrrens ascendit 54. in arborem Sycomorum. Quomodo non puduit unum Principem, confertâ homi-

num turbâ præsente , & spectante , & forte etiam ridente , ac fugillante , in arborem ascendere ? ¶ Zachæus vulgi de se opinionem , & risum , & fannas parum curavit , dummodo Christi aspe-ctu frui possit.

Si justam offensæ causam nemini præbeas , hominum judicia , dicta , & facta contemnere potes , & benè contentus vivere , modo DEUM habeas benevolum . Deus est Judex tuus , si te ille absolvat , parùm refert , quod totus te mundus condemnet . Si Deo placeas , non est aliis , cui te probare debeas . Si mandatis DEI satisficeris , omnes officii tui partes explebis , & tunc , quidquid loquantur homines , surdus sis ad omnia . Ut illi sunt linguae suæ domini , ita tu aurium tua-rum .

55. *Luc. 19. v. 9. Hodie salus huic Domui facta est.* Quæritur , quomodo hoc factum sit , cùm solus Zachæus fuisse confessus sua peccata , & culpas deplo-rasse , feratur ? ¶ Ita est , sed nónne Zachæus erat Pater , & caput Familiæ ? erat . Nónne dolore , & lacrymis sua damnabat scelera ? damnabat . Ergo certum erat domesticos illius , omnes tantundem facturos ; membra enim caput suum seqvuntur , & quando Pater-
Fami-

Familias est vir probus , domesticos filius omnes numerare in probis potes ; ut è contra impios recensere famulos , quorum scelerati sunt Domini.

Compendiosa , facilisque paternæ naturæ declaratio est Filius , inquit . Naz. or. 36. genitus genitorem tacite definit . Et usitata vulgo sententia est , juxta mores Domini , familiam constitutam . Cùm enim superior sit quoddam primum mobile , omnes subditi , ad illius exemplum se se componunt .

Luc. 19. v. 26. Ab eo autem , qui 56. non habet , & quod habet auferetur ab eo . Quomodo ab illo , qui non habet , auferri potest , quod habet ? si non habet , quomodo habet , si habet quomodo non habet ? ¶ Potest quis habere donum Dei , sed usum doni non habet ; & sic non habens usum , habet donum . Audi Aug. lib. 2. quæst. Evang. quæst. 46. ubi sic habet : Quod autem ab illo , qui utili noluit , auferitur , quod acceperat ; & ei datur . qui decem (Mnas) babebat , significatur & illum posse amittere munus DEI , qui habens , non habet , id est , non utilitur ; & in eo augeri , qui habens babet , id est , benè utilitur .

Qui talentum à Deo acceptum in utilitatem
O 5

tem animæ non convertunt , perinde se habent , ac si omnino non haberent , ideoque judicatur auferendum ; & dignas pro pigritia poenas luent . Sic & Avari perinde se habent , ac si omnino non haberent . De quibus Comicus ait : *Tam de est avaro quod habet , quam quod non habet.*

57. *Luc. 22. v. 24. Facta est autem , & contentio inter eos , quis eorum videtur esse major.* Quid quæso connexionis habet , quod postquam Christus dixisset : *Ecce manus tradentis me , mecum est mensa.* v. 21. Et Discipuli inquisiūsset , quis ille proditor esset , statim facta est conturbatio inter ipsos , quis eorum primatum haberet ? v. Quia cùm Apostoli intellexissent fore , ut ab uno quodam ipsorum , Christus traderetur , scire cupiebant , quis ille futurus esset , quod , cùm certum habere non possent , rationem iniérunt , & divinārunt illum futurum proditorem , qui major esse cuperet , & ille esset , qui Christum è vita sufferret , ut ad Præfecturam perveniret . Ita Ludovicus stella .

Ecce ! quod sua ambitiosum cæcitas abducit , qui si non curat ipsum DEUM crucifigere , tantum ut dominari possit , quod aliud scelus tentare non ausit ? Sicut imminente passione , &

& morte Christi contenderunt Discipuli de primatu ; sic imminente morte Prælati , fit contentio , quis debeat præponi.

Luc. 22. v. 43. Et factus in agonia , 58.
prolixius orabat. Quomodo factus in
agonia ? confectus , ut videtur , agone
digi deberet , supremus enim ille cum
morte conflictus , non facit , sed confi-
cit ? v. S. Lucam ad eum modum fuisse
locutum , ut nos doceret , non horrere
agones , pœnitentias , & asperitates pro
honore , & gloria Dei , si enim tempe-
ranter , moderatéque eis utamur , non
producunt tales effectus . quales timida
nosta natura putat ; non enim flagra-
mactant , non deglubunt cilicia , non
inferunt in tumulum jejunia ; quin poti-
us vitam invenimus , ubi mortem incur-
rere existimabamus , magisque robotar-
mur. Hinc de Christo ait Lucas : fa-
ctus in agonia , non confectus : inter
sudores valentior factus , non debilita-
tus : confortatus , non enervatus. Pu-
deat nos , quod cum carne nostra ita
procedendi stultam compassionem gera-
mus.

Luc. 22. v. 62. Egressus foras flevit 59.
ama-

amare. An non otium scribendi habuit S. Lucas , quòd scripserit : *Egressus foras?* si egressus est, utique egressus est foras , quòd enim egressus , si non foras? *¶ Quia,* ut inquit Philo : *Sunt, qui ex-eunt, sed non foras, à cubiculo in cubi-culum exeunt, non à domo: quisquis egreditur, foras egreditur, nimirum pe-nitus, penitusque, & nunquam regredi-tur.* Quòd ergo Petrus egressus est foras , penitus , penitusque egressus est , & nunquam reversus. Nolle egredi , & quidem foras , sive penitus , penitusq; & velle flere , & amarè , est impossibile cordi , impossibileque oculo. In domo Caiphæ non erat locus dolendi , sed de-linquenti. Hinc S. Leo ser. 9. de Pas-sione dicit: *Petrus egressus est foras pro-pter cadendi periculum.*

59 Vis Christiane flere ? disce egredi ; vis in-super amarè flere ? disce egredi foras. Atri-um Caiphæ , atrium domi*s iniquitatis* , non intrandum , ne fleri non possit , aut egrediendum , ut fleri possit. Est intus una , vel altera Ancilla , una inquam passio , una , vel altera tentatio , quæ non sinet ingredi poenitentiam. Ignis est in atrio , qui non dissol-vit glaciem pectoris , sed indurat ; nec fu-mus ignis illius elicit lacrymas , sed potius exsiccat.

Luc.

*Luc. 23. v. 8. Sperabat signum aliquod 60.
videre ab eo fieri. Quæritur quid insi-
pientiæ habet, quòd Herodes à Christo
signum aliquod expectavit, aut fieri mi-
raculum videre optavit. ¶ Hoc: quòd
cui Deus præsto est, quid illi necessum
est, plura miracula quærere, in quo bona
omnia sunt inclusa? Anima enim, quæ
Deum habet omnia habet. Deinde Herodes
volebat à Christo, quasi præstigiatore spe-
ctacula edi, quibus animum pasceret,
& oculos oblectaret. Hinc miraculum
nullum edidit, quinimo ad omnia tacuit;
sciebat enim, quòd quidquid ficeret,
vel diceret, ad nihil aliud profuturum,
quam ad pascendam curiositatem Regis
non habentis animum sequendi veritatem.
Quanquam majus in Christi modestia,
invictoque tantas inter & tam injuriosas
accusationes, silentio, miraculum fue-
rit, quam si novum è tumulo Lazarum
resuscitasset.*

*Luc. 24. v. 13. Duo ex Discipulis 61.
ibant ipsa die in Castellum. Certum est
horum unum fuisse Cleopham, dic ergo
mihi, quis alter fuerit, cùm Scriptura
non exprimat? ¶ Sanctos Patres in hoc
dissen-*

dissentire ; nam S. Ambrosius Cleophae
socium dicit fuisse Almeonem filium Rifi.
S. Epiphanius , Nathanaëlem : S. Grego-
rius , S. Lucam , qui propter humilita-
tem noluit se nominare.

Humiliatio unicum est , aptissimumque à
superbia recedendi , & humilitatis virtutem
aquirendi remedium. Esto parvus iu oculis
tuis , ut sis magnus in oculis DEI : tanto e-
nī eris apud D̄um pretiosior , quanto fue-
ris in oculis tuis deiectior. Humilitas si
nos filios habuerit , educabit in magnos.

62. *Luc. 24. v. 18. Tu solus peregrinus es in Jerusalem , & non cognovisti ea.*
Quæritur , quomodo dicere potuit Cleo-
phas : *Tu solus peregrinus es in Jeru-
salem ?* cum magna Peregrinorum copia
ad Jerusalem confluxerit ? *v.* Cleopham
non exclusisse alios fuisse peregrinos , sed
tantum notat exclusionem notitiæ mortis
Christi , ut sensus sit : cum multi pere-
grini fuerint in Jerusalem , mirum est ,
quod tu solus inter peregrinos talia i-
gnores.

Multa tu Christiane scienda nescis , aut
sciendi incuria , aut discendi desidia , aut ve-
recundiæ inquirendi , & ejusmodi ignorantia ,
non habet exculcationem. S. Ber. fer. 7. Non
potest eis esse excusatio condemnationis , i-

gno-

gnorantia veritatis, quibus fuit inveniendi facultas, si fuisset querendi voluntas, inquit Chylost. hom. 44. sup. Mathæum.

Joan. 2. v. 6. Erant autem ibi Hydriæ 63. sex secundum purificationem Judæorum. Quæritur, qualis illa Judæorum purificatione? &c. Non aliam, quam quâ Judæi juxta traditiones suas, Religionis causâ, manus inter epulas lavabant, nisi quid immundi in mensa tetigissent, aquâ ex hydriis sumptâ se expiarent, & purificarent.

Utinam, & tu, si quid in corde tuo immundi, & offensivi Dei sentis, Lacrymis pænitentialibus expiares, ut mundus totus in conspectu Dei appareres. Manus, id est, opera non utique Corporis, sed animæ lavandæ sunt, inquit S. Hyer. *Lavabo per singulas noctes lectum meum*, id est, conscientiæ. Aut si & manus corporis lavandæ sunt, citior animæ, quam corporis cura habeatur. Virtus antecedat, tutum erit omne vestigium inquit Seneca. *Non anima pro corpore, sed corpus pro anima factum est: qui ergo quod primum, & melius est, negligit, & quod inferius est extollit, utrumque corrumpit.* S. Chrysost.

Joan. 2. v. 15. Et cum fecisset, qua- 64. si flagellum de funiculis, omnes ejecit de templo. Unde ex tanta populi, omnis- qu

que statūs , & conditionis multitudine
tanta erga Christum reverentia , tantus
timor , ut ne vel unus quidem ausus fue-
rit minimam facere resistentiam flagella-
tionis ejus , neque vel verbum respon-
dere ad verbum ejus ? ¶ Quia , ut inquit
Doctorum maximus S. Hieronymus in
cap. 21. Matth. Igneum quoddam , &
sydereum radiabat ex oculis ejus , & di-
vinitatis Majestas lucebat in facie , sic
que invasit omnes timor magnus . Et ut
inquit Origenes : *Dissipavit Dominus cogitationes eorum* Si ex tota quanta
multitudine ne quidem verbum , ad ver-
bum Christi misericordissimi Redemptoris
nullus respondere potuit , quid in univer-
sali Judicio ad quæstiones Christi tam se-
veri Judicis respondebimus ?

65. *Joan. 4. v. 15. Domine da mibi hanc aquam , ut non sitiam.* Quæritur , Unde mulier hæc Samaritana mota sit , ut ti-
tulo Domini Christum honoret ? Prius enim dixerat : Tu. quomodo tu cùm Ju-
dæus sis , bibere à me poscis ? non enim Ju-
dæi coutuntur Samaritanis . ¶ Quia ut inquit Cajetanus : Auditā mansuetudi-
ne , ac placida responsione incipit honora-
re Christum . Qua-

Qualis hæc mulier Samaritana fuit, tales
hodie plurimi sunt in dandis titulis. Nam si
Verbi gratiâ Commodato pecuniam, vel quid-
piam petant, antequam quod suspirant, ob-
tineant, non solum Domini titulum dant;
quini mò communis usus hominum habet, ut
dicant Deum quendam esse, à quo auxilium,
opémque expetant. At verò postquam poti-
ti sunt rerum, quas suspirabant, & hora
solvendi adveniat, debitumque humanus Cred-
dor exigat non modo ipsum tuizant, sed
& affirment nec Dæmonem esse apud inferos
pejorem.

*Joan. 4. v. 52. Heri horâ septimâ re- 66.
liquit eum febris. Quare recte horâ se-
ptima? ¶ Quia ut habet Glossa septe-
narius, figura est Spiritus septiformis,
in quo est omnis salus. Tum quia ut
ait Alcuinus, per septiformem Spiritum
est remissio peccatorum; septenarius e-
nim in tria, & quatuor divisus, significat
Sanctam Trinitatem in 4. mundi partibus
dominantem.*

Utinam febris æstuantium vitiorum nos
miseros peccatores relinqueret si non septimâ,
salem decimâ vel undecimâ horâ, ne per
ipsam incurramus mortem æternam. Si quæ-
ras quare in Sacro Evangelio, tam accuratè
ponantur horæ? ¶ Ut Iicias, quod conver-
sionum, & actionum, & passionum, & de-

votionum nostrarum, omnes horæ, diligenter apud DEUM computantur, inquit S. Bonav.

67. *Ioan. 5. v. 4. Angelus Domini descendebat secundùm tempus ad piscinam, & movebatur aqua.* Cur Angelus moverit aquas, ut sanarentur ægri? quid ad effectum miraculi motio ista? *R. S. Chrysostomus sic habet: Turbabat Angelus aquam, ne languentium vulnerum turpitudo appareret.* Inter languentium copiam, nonnulli habebant fædas. & fætidas plágas, quas nè corpore ad ingressum aquarum nudatō, conspicere alii possent, descendebat Angelus, & turbabat aquam, nè languentium vulnerum turpitudo appareret.

Pro Angelo, è Cœlis delapso habereris, si cum audis famam proximi tui lædi, ejus que nudari turpitudinem, & detegi vulnera, tu ex charitate, & miseratione abrumperes, aut interpellares detractoria colloquia, vel aliud sermonis argumentum interfereres, quibus modis posses criminatorias narrationes, ut pudenda eorum, quorum fama proscinditur actiones, tegantur, tegere.

68. *Ioan. 8. v. 9. Et remansit solus Jesus, & mulier in medio stans.* Si solus Jesus mansit, quomodo Mulier in medio stare
po.

potuit? ¶ *Ly solus excludit tantum
Scribas*, qui *Jesum urgebant ad dam-
nandam adulteram.* Remansit itaque so-
lus *Jesus cum Apostolis*, & turba populi,
in cuius medio erat Mulier stans; quam
scribæ lapidandam volebant.

Videant Urbium, Rerumque-publicarum
Judices, ne in condemnandis reis, ita pro-
cedant, ut nulla relicta Reo, ambas aures ven-
dant Actori, recusantes imitari Alexandrum,
M. qui eō corporis habitu audiebat causas,
tanquam aurem unam obturans; rogatus a
familiari, cur id faceret? *clausa, inquit, auris
servatur reo.*

*Ioan. 8. v. 33. Genus Abrahæ sumus, 69.
& nemini servivimus unquam. Quæritur,*
quare hoc Judæorum pudendum mendaci-
um Christus silentio prætermisit, cum Ju-
dæi, & Ægyptiis, & Babyloniiis, & Ro-
manis servierint, & sœpè, & diu, annosq;
plurimos? Cur inquam Christus falsissi-
mum illorum dictum dissimulavit, & non
nisi sic resposuit: *Qui facit peccatum, servus est peccati.* v. 34. ¶ Christum
Dominum non sine Mysterio mendacia
Judæorum præterisse; atque hoc solum
evincere curavit, quod verus servus
est, quisquis peccato se obstringit, ut

doceret, in quo vera servitus consistit, velut dixisset: Possem facile convincere servitutem vestram, quam, apud varias gentes subiistis, verum quænam illa miseria, & infelicitas? quid obsunt pauperies, servitus, captivitas, & omnis calamitas hujus mundi? illa non incommodant nec obsunt Animæ, modò culpæ servitus illis conjuncta non sit, quæ sola misera, & deploranda est servitus. Nullum ergo aliud malum, nisi peccatum, nullum aliud bonum, nisi Gratia. *Bonus etiamsi serviat, liber est; malus etiamsi regnet, servus est, tot Dominorum, quot vitiorum.* S. August. lib. 4. de Civ. Cap. 3.

70. *Joan. 8. v. 59. JESUS autem abscondit se, & exivit de Templo.* Cur Christus, dum Judæi sustulerunt lapides in ipsum projiciendos se abscondit, & exivit de Templo? *v.* Id non fecit Christus metu mortis, sed loci Sacri reverentiâ, ne, ut dicit Hugo, tanto sacrilegio Domus illa DEI pollueretur. Sed quæro: qualiter se abscondit Christus? *v.* Augustinus: Cælicâ potestate invisibilem se insidiantibus constituens.

Quot

Quot turpibus tu desideriis , pravisque
cupiditatibus in Ecclesia DEI inhæsistī ?
numera illas , & totidem putas te in
Christum lapides projecisse: tot pluis su-
per illum lapides , quot crimina comit-
tis. Hæc sine sunt pro infinitis benefi-
ciis reciproca amoris officia , ut Redem-
ptoris tui innocentem sanguinem per ite-
rata scelera rufus exprimas ?

*Joan. 9. v. 25. Si peccator est , ne- 71.
scio.* Paulò ante dixerat : *Propheta est.*
Nunc dicit : *Si peccator est , nescio.*
Cur sic loquitur ? *v.* Quando dixit: *Si*
peccator est , nescio , hoc non dixit af-
ferendo , nec timendo , sed volebat Je-
sus à rei testimonio , non à sua voce ,
ab incusatione eripi , quasi diceret :
Nunc dicere , vel disputare vobiscum
nolo , an JESUS sit peccator , nec ne.
Mirare heroicam constantiam , & magna-
nimitatem cæci hujus (*Sidonius* voca-
batur) in tuendo JESU coram juratis
Christi hostibus ; & nos pro zelando
Christi , & Ecclesiæ suæ , Ministrorum-
que honore defendendo tacebimus ? Leo-
nes , vel Lepores erimus ?

*Joan. 10. v. 9. Ego sum Ostium , per 72.
P 3 me ,*

me , si quis introierit , salvabitur , & ingredietur , & egredietur , & pascua inveniet. Quid est , quod dicit : ingredietur , & egredietur ? ¶ Ingredietur hic ad Fidem , & egredietur ex hoc mundo , inquit Lyran. & post hæc ferens Fidem constantem , & charitate formatam , inveniet pascua vitæ æternæ.

Omne bonum , & tota hominis Christiani felicitas , ad hoc revocatur ; ut benè fiat , qui in bona morte æternitatis beatæ lucrum invenit. Bonâ morte , & Sanctâ vitæ clausula , omnia nostra in tuto collocantur.

73. *Ioan. 10. ¶ 12. Mercenarius autem , & qui non est Pastor - - - videt lupum venientem , & dimittit oves , & fugit. Mirum , quomodo improbus Pastor , seu Mercenarius fugiat. Certè pusillanimus , & ignavus est Pastor , quem unius lupi aspectus in pedes conjicit , quomodo ergo malus Pastor fugit ? ¶ Fugit silentio , inquit Cajetanus , se sub silentio abscondit , ait S. Gregorius Hom. 24. in Evang. Quando Prælatus coram adest , subditosque videt effundi in levitates , negligere observantiam , diffluere moribus , prætermittere sua officia , comittere , quæ non debeant , & tacet , perinde*

inde facit , ac si fugeret , tergumque obverteret , atque licentiūs agendi facultatem illis concederet . Silentium ergo absentiae vices agit . Subditi tam laxis habenis feruntur in vitia , dum illum silere vident , quām libere peccarent , si prorsus absens esset . *Qui non punit , cūm potest , scelus facit.* inquit Lipomanus .

Joan. 11. ¶ 44. Et statim prodiit , 741 qui fuerat mortuus , ligatus pedes , & manus institis . Quæritur , cur non exivit illis nexibus , & vinculis solutus ? ¶ Quia , ut inquit Mendoza in 1. Reg. Cap. 3. ¶ 10. sec. 3. Ne brevissimam illam moram , quā suis se nodis expediret , cunctaretur in monumento , sed ut promptior ad imperantis vocem festinaret . Idem ante illum docuit Chrysostomus .

O quām felices , & fortunati essemus , si tam cito virtuti manus daremus , quām vitio demus ! sed ut inquit Oleaster in cap. 32. Exodi : *Imperat virtus , & dormimus ; annuit vitium & jam currimus . Utinam sic se homo sine ret à vitiis rogari , quemadmodum ad opera virtutum ! Peccatum solum nictat , & latentes subsultamus , & cursu in ejus amplexum properamus : virtus nos magnis vocibus inclamat ,*

& felicitatis æternæ oblatione invitatus & tam
men velut sub incude animal quoddam, igna-
viter sterius. Gaudium esset coram Ange-
lis Dei, si hoc virtuti amanter obsecrantia
remus, quod vitio importunè, & improbè
urgenti concedimus.

75. *Joan. 12. v. 6. Fur erat, & loculos
habens, ea quæ mittebantur, portabat.*
Quæritur, quare furi Judæ, pecuniæ
concreditæ sunt? Nonne Petro, vel
Andreæ, vel Joanni &c. concredi tu-
tius poterant? R. Quod Judæ furi, lo-
culi commissi sint servandi, hoc factum
est ut (Christus) omnem tolleret prodi-
tionis materiam inquit Chrysost. Hom.
54. in Joan.

Fur erat Judas, & stimulante avaritia,
inclinatus erat ad prodictionem. Quid fe-
cit Christus? ad avertendum enormius prodi-
ctionis scelus, permisit minus malum aliud
furti: tradit illi Loculos; tollat inde tri-
ginta Argenteos, ut saturata habendi libido,
illum non impellat ad pretium hoc, a Judais
petendum, & cum atrocissimo flagitio obti-
nendum. Hinc iequitur, Judam solâ malitiâ
id egisse, quod Christum prodiderit; non
vero pecuniarum cupiditate; nam ad illam
explendam sufficere debebant loculi, quos
secum habebat, & gerebat.

Vide! quam secretos puniendi modos ha-
beat

beat Deus in hoc mundo , vanus est creatu-
rarum labor in indagandis Dei rationibus cur
non sic faciat ? Angeli non assequuntur infal-
libiliter dictamina divina , reclusa revela-
tione , & assequitur homo , qui talpa est ?
Cui incidisset ratio de Juda , nisi Deus Pau-
lo , & Paulus Chrysostomo revelasset ?

*Ioan. 13. v. 24. Innuit ergo huic si- 76.
mon Petrus , & dixit ei : quis est , de
quo dicit ? Quæritur , Cur S. Petrus
non fuit ausus interrogare Christum , quis
eum traditurus esset ? ubi tamen post
Resurrectionem Christi , intrepidus acces-
sit ad interrogandum , quid futurum erat
de Joanne , dicens : Domine hic autem
quid ? &c. Ex D. Thoma part. 3. quæst.
89. art. 3. ad 3. dicente : Quia tunc
innocens erat , at nunc post negationem
pænitens , qui enim ad pænitentiam re-
dit , majorem ad Deum accedendi fidu-
ciam aquirit . Hæc cum sale intelligen-
da sunt . Unum est , quod te moneam :
Noli spe majoris fiduciae ad Deum per Pæ-
nitentiam accedendi , te in peccati discrī-
men conjicere : nam facilius est innocen-
tiam non perdere , quam perditam reperi-
re : ut enim habet S. Ambr. lib 2. de pænit.
cap 10. tom 4to : *Facilius , inquit , in-**

*veni, qui innocentiam servaverint, quam
qui congruè egerint pœnitentiam.*

77. *Joan. 14. v. 27. Pacem relinquō vobis,
Pacem meam do vobis.* An fortè nihil
habebat reliquum, quod daret, ut præ-
ter concordiam nihil inveniret, quod il-
lis impertiret? absit. Cur ergo cùm
bona infinita habeat, solam in omnibus
Pacem dignam putavit, quam illis ad
magnificentię suę ostensionem, relin-
queret? *v. Glossa ordinaria in Cap. 24.
Lucæ: Qui Pacem dedit, uno verbo om-
nia dedit.* Hinc cùm sciret omnia bona
includi in pace (maximè sua) solam
Pacis suę apud suos mentionem fecit, in
qua omnia bona essent reposita. Nam
ubi pax, ibi cornu omnis copiæ repe-
ritur: ubi pax imperat, & regnat con-
cordia, omnes securè degunt, omnia bona
reperiuntur, omnia affluunt; tolle
pacem, & ecce universa pereunt. *Vis
pacem, habere?* quære illam in domo
Justitiæ, quæ nunquam ab hujus latere
discedit. *Hæ duæ, amicæ sunt;* Justi-
tia, & Pax ipsæ se osculantur. Si ami-
cam Pacis non amaveris non te amabit
ipsa Pax, non veniet ad te: ut habet Aug.
in psal. 84.

Joan.

Joan. 18. v. 15. Discipulus autem 78.
 (Joannes) ille erat notus Pontifici. Unde S. Joannes erat notus Pontifici? *¶*. Quia Zæbedæus Pater Joannis, sæpè sæpiùs miserat Joannem, qui gratis, & pro munere pisces offerebat Pontifici. Hujus etiam est Sententiæ Lyran. dicens: *Causa fuit notitiæ cum Pontifice, qui fortè missus à Patre suo, pluries portaverit pisces ad domum Annæ.*

Nunquam effugiet corrupti Judicis notam, qui manus suas muneribus inquinaverit. Si malus sum, cur mihi munera largiris? si bonus, cur me illa accipere jubes? *Zonaras* tom. 2. Nunquam tibi fideles putas fore, quos pretiò corrupisti, inquit Cic. offic. 7.

*Joan. 18. v. 31. Nobis non licet occidere quemquam. Quomodo illi sic loquuntur, cùm S. Stephanum lapidaverint, & S. Jacobum præcipitaverint? *¶* Quòd S. Jacobum præcipitaverint, ac S. Stephanum lapidaverint, hoc Judæos non fecisse ordine Juris, sed tumultu, & furore Populi. Aliàs Romani, Judæis, ut potè Jure belli subactis, abstulerunt Jus damnandi, & plectendi ad mortem reos, ut docet S. Thomas. Vel dicendum cum Augustino: Judæis non licuisse occidere Festo*

Festo Paschæ ob Festi solemnitatem, sed alias id eis licuisse.

O Si omni die, omni Festo, tam fervidi spiritus Christianus essem, ut sic diceres; Ego Legem habeo, & secundum hanc Legem, non Christus, sed tu improba caro, tu perfide munde, tu sanguinolenta concupiscentia &c. debes mori, ut anima Christo vivat.

30. *Joan. 20. ¶. II. Maria autem stabat ad monumentum foris plorans.* Quæritur, cur Maria Magdalena stans juxta Crucem, non flevit (saltem non legitur) at resuscitato Christo, veniens ad monumentum, non invento corpore fleverit? ¶ Causa est, quia juxta Crucem, quamvis Magistrum suum videret crucifixum, equidem præsentem habebat, & præsentia illius dabat afflictæ animæ suæ aliquod refrigerium: at quando de sepulchro sublatum vidit non potuit cessare à lachrymis, divinâ illâ facie, privata; ideo hic flevit, non ibi. Ut enim ait Aug. Tract. 121. in Joan. amplius doluit, quod Dominus ablatus fuerit de monumento, quam quod fuerit occisus in ligno.

Mirare, & imitare amorem Magdalenæ, quam, Viris redeuntibus, infirmiores sexum,

xum, firmior in eodem loco figebat affectus. Si fecutus es peccatricem, sequere pœnitentem. Si vis pœnitere, pro te advocabit; si vis peccare, te accusabit: ista te ad tribunal aut misericordiae citat, ut culpas expies, aut ad tribunal justitiae divinæ, ut respondeas.

*Joan. 20. v. 17. Noli me tangere, 81.
nondum enim ascendi ad Patrem. Vade
autem ad Fratres meos.* Quæritur, qualis hæc connexio: *Noli me tangere,
quia nondum ascendi ad Patrem meum?* An fortè tunc se tangendum optabit, dum ascenderit ad Patrem? ~~videt~~ Doctissimus Ribera in cap. 20. Joan. Sciebat Magdalena Christum fore ascensum, nec posteà fruituram ejus conspectu, & colloquiō, ideo occasionem datam tangendi Christum, elabi nolebat. Cui ait Dominus: *Noli me tangere, nondum enim ascendi ad Patrem meum, vade autem ad Fratres meos.* Hoc est: Tempus tibi restabit tangendi, & colloquendi, adhuc enim sum in terra, nec ascendi ad Cœlum; ideo noli nunc morari, sed gaudio, quo frueris, fac, ut etiam fruantur Apostoli.

Docemur per hoc, & excitamur, ut Charita-

ritatis officium proximis nostris exhibeamus; quanto enim studiō necessitati proximi fertur remedium, tanto negotium nostrum agitur, & salus propria curatur, & quidquid commodamus alteri, id nobis imprimis, & maximè prodest. *Mandavit illis unicuique de Proximo suo.* Eccli. 17. ¶. 12. id est: ne nocerent illi, ut explicat Menoch. At nos, cum invicem protegere deberemus, invicem impetimus. Homo, homini lupus.

32. *Ioan. 20. ¶. 25.* *Nisi videro in Manibus ejus fixuram clavorum---non credam.* Quæritur, Undè motus S. Thomas, ut nec Magdalenæ, nec Petro, nec discipulis euntibus in Emmaus, nec cæteris Apostolis, Christum surrexisse affirmantibus, crederet? ¶. Mariæ Magdalenæ non credidit, utpote fœminæ decipi facili; nec Petro, qui tertio perjurus existit in Magistrum suum; nec Joanni, tanquam Juveni supplantationi proximo. Neque Discipulis euntibus in Emmaus, quos vino forte turbatos existimavit: sed nec aliis Apostolis, utpote timore consternatis, & alias Christum ambulantem super aquas, phantasma esse credentibus.

Magis placet Deo pia credulitas, quam temeraria de aliis suspicio. Heli videns Annam labia movere, & nullum verbum extra proferre

ferre, suspicabatur eam temulentam I. Reg.
I. an recte? vitium, quod temerè alteri im-
putas, in te ipso habes: ex te enim metiris
alios, & tuum vitium cæteris commune esse
putas; quæ omnia meræ suspiciones sunt,
& sæpe falsæ.

*Joan. 21. v. 7. Tunc Petrus tunicā 83:
succinxit se (erat enim nudus:) & misit
se in mare. Quæramus si placet, cur
Petrus repente in mare defiliit, simul
atque Dominum esse in littore cognovit?
alii autem Discipuli navigiō venerunt ad
illum. An non etiam Petrus cum aliis
navigiō venire poterat? Cur se ab aliis
subtraxit, & se in aquas conjecit? ¶
Quia, ut habet S. Petrus Chrysol. ser.
78. Misit se in Mare, ut Mare dilueret,
quod negatio taliter folidaverat. Erat
Petrus Pastor ovium, ipsorum adeò A-
postolorum Princeps, vertex, caput.
Et quoniam Prælatus vitæ Sanctitati, &
perfectioni arctissimè obligatur, omne
illius peccatum tam grave efficitur; &
macula, quam contrahit, tam fœda, &
horrida, ut ad eluendam illam, quasi to-
tum mare contritionis requiratur. Hinc
cùm Petrus à Joanne accepisset, quòd
in littore JESUS esset, quem negaverat,
statim*

statim se in mare præcipitavit, ut negationis suæ labem, aquis maris emacularet.

84. *Actor. i. v. 12. Sabbathi habens iter.*
 Quod illud iter Sabbathi? *v.* Est distans ab Jerusalem tanto spatio, quantum Judæis in Sabbatho licetbat profici scendo confidere. Judæis enim tanta religione præceptum erat Sabbathum, ut capessere non liceret iter, nisi modicum, quod dicunt fuisse mille passuum, id est: unum milliare.

Quantâ Judæi industriâ Præceptum DEI, de servando Sabbatho observabant! At nos ferventissimi in terrenis, frigidissimi in cælestibus sumus: & summam in rebus parvis exhibentes alacritatem, ad majora torpescimus.

85. *Actor. i. v. 18. Crepuit medius, & diffusa sunt omnia viscera ejus.* Quæritur quâ ratione effusa sunt? *v.* Theophilactus in cap. 27. Matth. sic habet: Vadit Judas, & se in arbore laqueo suspendit: Et Christus misericors ramum arboris curavit incurvari, ut Judas tangendo pedibus terram, non suffocaretur, sed adhuc converteretur; tamen obstinatus perseverat. Christus tandem ordinat, ut laqueus scinderetur, sicut, & scissus

Scissus est. Sed quid? Judas cadit in terram, currus veniens transit supra medium corpus ejus, sicque crepuit, & diffusa sunt omnia viscera ejus.

Dignus erat laqueo, qui te suspendit, Iuda;
quem suspendisti, dignus & ille fuit.

O incerti hominum casus! quis Judam prius pium, languores curantem, dæmones ejicientem tam lugubri, ac repantino fatō in tartara abreptum putasset? quis à tam sanctis initiis tam paradoxam catastrophēn expectasset? i nunc Lector, & de bonis propositis, de sanctis Deo serviendi desideriis, & virtutibus tibi blandire.

Actor. I. v. 23. Et statuerunt duos.
Joseph . . . qui cognominatus est justus,
& Mathiam. Ecce Mathias illaudatus relinquitur; Joseph præconiis extollitur. Cur hoc? **Q**uia quamvis omnes conditiones, & qualitates in electo ad Apostolatum S. Mathia, fuerint eximiae, noluit tamen ullam S. Lucas laudem apponere Mathiæ, sicut Josepho, eò, quod sua ipsius Mathiæ electio sufficeret ad laudem: Josephum verò laudavit, ne sua præteritio insimulare eum culpæ videretur.

Disce vocationem tuam à Deo expectare debere, eaque te esse contentum, non invidere, alium tibi esse prælatum. Ecce! Joseph consanguineo suo in Apostolatu prætulit Mathiam extraneum; nec enim Christus in electione ad officia Ecclesiastica haberi voluit rationem consanguinitatis. Eodem Spiritu, & Gratiâ Dei, poteris tantum in Vinea Domini, ut non prælatus operari, & Deo servire, quantum alter, utpote minoribus curis implicatus.

87. *Actor. 2. v. 24. Quem DEUS suscitavit solutis doloribus inferni.* Quæritur, an Christus in Lymbo sustinuerit dolores? & quidem ex citato textu sustinuisse nonnulli fortè videtur? *v.* Christum in Lymbo nequaquam sustinuisse dolorem: citati verò textū sensum hunc esse solutis non utique in inferno, sed in Cruce doloribus inferni, quos nos debebamus. Et sensus est, Deum suscitasse à mortuis Christum, postquam ille in Cruce solverat pecuniam, hoc est dolores inferni, quos divina justitia à nobis exigere poterat. Solutis ergo doloribus inferni, non utique suis, sed aliorum, qui illis tenebantur, uti nos.

Hic labor, hoc opus! quomodo à tot annis, tam ingentis summae pro nobis, Deo Patri per

per Christum depositæ , interusurium sol-
vemus ? & ubi capitalis summa ? quid faci-
endum ? Ecce audivimus , quod Reges Izraël
clementes sint . Ponamus saccos in lumbis nostris ,
& funiculos in capitibus nostris , & egrediamur
ad Regem Izrael : forsitan salvabit animas nostras .
3. Reg. 20. v. 31. Christus est Rex Izraël ,
qui si viderit poenitens cor nostrum , omne
debitum nobis dimitte , & Chyrographum
restituet .

Acto. 7. v. 55. Ecce video Cœlos a- 88,
pertos , & JESUM stantem à dextris
virtutis DEI. Quæritur. Cur JESUS
apparuit stans , & non sedens ? v. Multi
multas assignant rationes . *Lorinus exi-*
stimat id ex eo accidisse , quod dum
lapidaretur S. Stephanus , Beatissima Vir-
go Maria redux à S. Sepulchro , cum
S. Joanne , cùm lapidum illorum strepi-
tum auribus percepisset , genuflexa pro
confortando eodem Filium suum exora-
vit ; quia ergo se sedere , Matre flecten-
te , non adeò decorum Filius existima-
vit , ideo assurgit , & assurgens S. Ste-
phano auxilio fuit .

Vides quanto in honore Christus habeat
Matrem suam ! nescio quanto tu habeas illam ,
quæ est nostra apud Judicem Deum Advocata ,
ad quam pertinet Cauæ nostræ defendendæ stu-

dere , & tanquam miserationum Mater illos
liberat , quos Filii justitia damnaret.

89. Quæres cur S. Stephanus dicitur Protho-Martyr , cùm tamen ante illum fuerint Sancti Innocentes , quos Ecclesia colit , ut Martyres ? ¶ S. Stephanum ideo vocari Protho-Martyrem , quia primus post mortem Christi , pro illo Sanguinem fudit. Hinc Ecclesia in ejus officio in Responsorio octavo sic canit : *Mortem enim , quam Salvator noster dignatus est pro nobis pati , banc ille primus reddidit Salvatori.* Violatur Lex gratitudinis , dum beneficium oblivione , & peccandi licentia compensamus , cùm magis gratiæ , redi deberet assidua memoria , & prompta obedientia , qualis erat S. Stephani.

90. *Acto. 12. v. 6.* Cùm autem producturus eum esset Herodes , erat Petrus dormiens. Quomodo sequenti die producendus dormit? est tam incurius vitæ , Petrus , quod dormiat? ¶ Non est mirandum , quod Petrus dormiat ; mirandum esset , si non dormiret. Cur non dormiat , qui puram sceleris habet conscientiam ? Superbia somnum adimit , adimit

adimit acedia , sed ab his ; aliisque vi-
tiis liber est Petrus : ergo expeditus ad
dormiendum in carcere , etiam instantे
jam morte. Vigilant scelerati, & vigi-
lent , somnum enim arcent scelera ; dor-
miat Petrus, & dormit , non oblatrat illi
conscientia. Ubi quies , ibi somnus ;
nullibi autem somnus , nisi ubi virtus. Ju-
stus in utramque aurem , metu vacuus
dormit. Si Epithetum vis pro substan-
tivo *Conscientia* , in toto Calepino non
invenies aptius , quam : Bonus , a, um,
Purus , a , um.

*Autor. 12. ¶ 7. Percussòque latere 91.
Petri, excitavit eum dicens : surge velo-
citer. Quare volociter surgere jubetur ?
quæ hic timendi occasio ? quid mali
fuisset , si paulò cunctantiùs inde exce-
sisset ? excubiæ dormiebant , fores pa-
tebant : DEUS suam ad liberandum Pe-
trum , Omnipotentiam interposuerat :
Angelus fortissimus delegatus fuerat ,
quid ergo surgere velociter ?
¶ Causa est , quia tota Ecclesia pro Pe-
tro obsecrabat , orationi autem , quæ
fit communiter à multis , nescit DEUS ,
vel momento negare , vel differre auxi-
lium ; ideo dixit Angelus : Surge velo-
citer.*

citer. Quasi DEUS , dixisset : Tota , pro te communiter fundit preces Ecceſia , volo , ut mea ſponſa videat cito efficaciam talis orationis , quæ ab hominibus , cœtu frequente , funditur. Quid non facit oratio ! Oratio justi clavis eſt cœli : ascendit precatio , & descendit Dei miſeratio inquit Aug. ſerm. 226. de Temp.

92. *Actoř. 12. v. 23.* Confeflim autem percusſit eum Angelus Domini. Quare percusſit eum ? forte , quod non dediſſet honorem Deo , utibi dicitur ? quid ? quod Herodes federit pro tribunali veste Regia indu-
tus , dicens ad Populum concionem , populus ſucclamaverit Dei eſſe voces , & non hominis ? Cur de Herode ſumi-
tur ſupplicium , & non potius de popu-
lo , Herodi adulante , & parasito ? *v.* Hoc factum eſt propterea , inquit S. Iſidorus Pelusiota , quod ipſe populum non reprehenderit , neque adulacionem impiam , & infanam repudiaverit. Nam dum eam acceptavit , etiam ad majorem ipſos impietatem asuefecit , & erudivit. Hæc ille Lib. 4. Epift. 24.

Discant Parentes , & Superiores , quantum eorum erga Proles & ſibi ſubditos con-
niven-

aventia officiat , & quantum horum coram illis adulatio ! dum quandoque errata illorum laudant , ne si per iracundiam avertantur , munus , & gratiam subtrahant , quam impendebant.

Actor. 17. v. 21. Athenienses , ad nibil aliud vacabant , nisi aut dicere , aut audire aliquid novi. Id quod etiam Plutarchus tract. de garrulitate tradit , dicens : Athenienses mirè fuisse novorum avidos , aut dicere , aut audire aliquid novi. Utinam facere , & cogitare !

93

Si nostra tempora inspiciamus , plena fora , & compita Atheniensibus videbimus immo rara est domus , in qua si non vir est Atheniensis saltem est mulier , & alteruter est avidus aut dicere , aut aliquid audire novi jam de Petro , jam de Cajo . Hæc interrogatio : *quid novi ?* ad obvios in triviis , ad sodales in circulis fit , & quisque gaudet esse seminoverbius : jam si quis nihil aliud sciat , hoc tamen scit , *quid novi ?* ferme mutus interroget : *quid novi ?* Curiositas novi quidpiam videndi , vel audiendi , innata est homini : nova enim placent , nova delectant . Et quia nova vera non semper suppetunt ; hinc multi nova fingunt , nugaqne , & fabulas narrant , easque sœpè infames , quibus famam Proximi lacerant , eumque ridendum aliis objiciunt .

94. *Acto. 19. v. 12.* Ita, ut etiam super languidos deferrentur, à corpore (Pau i.) sudaria, & semicinctia, & recedebant ab eis languores. Quæritur, quid est illud semicinctum? *v.* Lorinus putat tegimen quoddam fuisse ab humeris ad genua usque pendulum, quo Mechanicum illiberale opus tractant, cæteras vestes, re quid fodi in contrahant, teetas, mundasque servare solent. Sic verbatim dicit: *Ergo semicinctum forsan est ex lino, simili ve materia pannus, quem circumligando demittunt, qui in opificio, aut ministerio versantur.* Nihil detrahitur de dignitate alicujus rei per hoc, quod ad humilia officia adhibetur, ideo voluit Deus, ut sudarium, & semicinctum Pauli (vilos, & servilis officii, quod exercebat insignia) ejiceret Dæmones, & curaret infirmitates.

Non perdis tuam existimationem, quia te humilias, nam humilitas nunquam incommodavit authoritati; neque juribus ejus quidquam detraxit. Quid humilitati Regis David detraictum est, quod numisma è collo pendens gestaverit, in cuius una parte sculptum erat: *Adulterium.* in altera: *Homicidium.* ut habet S. Chrysost. in Psal. 50. Quid ad hoc moderni dicunt? *Punctum honoris.*

Quare

Quare Epistola S. Pauli Apostoli ad 95.

Romanos prima omnium Epistolarum ponitur , cum illa , aliquibus ejus Epistolis posterius scripta sit ? *¶* In ordinandis S. Pauli Epistolis dignitatis potius eorum , ad quos scriptæ sunt , quam temporum habita est ratio . Hinc prima posita est , quæ ad Romanos , ob Urbis Regnaticis , & Ecclesiæ principalis amplitudinem . Prima omnium S. Pauli Epistolarum , est prima ad Thessalonices , ut notat Baronius ex Chrysostomo .

Melius est investigare , quid Pauli Epistola contineat , & ibi contenta servare , quam querere , cur prima ponatur . Sed hoc est , quod sæpè quæstiones proponamus alendæ potius curiositati , quam fovendæ pietati utiles . Utinam quisque sibi hanc sæpè objiceret exprobrativam quæstionem : Nonne fatuus es , qui dum in Paradiso securæ conscientiæ degere vales , mavis tamen Infernum portatilem intra sinum portare , & cruciabilem , immanemque conscientiæ remorin de tam amabili Domino Deo offenso ?

Ad Rom. 9. ¶ 3. Optabam ego ana- 96.
themæ esse à Christo pro Fratribus meis.
Exod. 32. ¶ 31. & 32. Aut dimitte illis
banc noxam , aut si non facis , dele me de
libro , quem scripsisti . Quæritur , an Pauli

major erga cognatos Charitas fuerit , vel Moysis erga Populum ? *q.* Ex sententia Chrysostomi Hom. 1. de laudibus Pauli , qui dicit : Ardentiores fuisse Charitatem Pauli præ illa Moysis ; quia inquit Moyses cum cæteris optabat perire , Paulus pro cæteris , non enim cum pereuntibus perire voluit , sed ut salvarentur alii , ipse de gloriæ æternitate decedere . Quanquam ergo ingens fuerit Moysis Charitas , major tamen Pauli ; nam Moyses unam cum aliis mortem subire cupiebat : Paulus suâ solius morte salvare alios optabat . Moyses decedere vitâ paratus erat , sed servare alios vivos , non curabat : Paulus è contra ad similitudinem amoris Christi .

O si nos ita de amore Proximi concertaremus , quam multos Discipulos haberemus ! sed disparuerunt exemplaria inquit Chrysost. ideò Juvenes non fiunt admirabiles . Hinc si desint exempla majorum , intercidunt citissimè negotia inferiorum . Moyses , & Paulus certarunt de morte : nos certamus de vita .

97. Quare Christus Dominus , Paulo inter conversionis ipsius primordia , nomen aliud non dedit , sed Sauli nomine vocavit ? cum tamen Petrus , qui Simon

Joan.

Joannis , aut Bar Jona vocabatur , citò nomen Petri acceperit ? *v.* Hanc quæstionem proponit S. Chrysost. Hom 3. de conversione Pauli , & solvit dicens ; Si statim converso Paulo , mutatum esset & nomen ejus , tunc minus manifesta fuisset ejus conversio ; nemo enim sciret , quòd persecutor ille esset Evangelista. Si statim nomen ejus mutatum fuisset , quilibet alium potius hunc tam acrem novæ Fidei prædicatorem existimatasset , nisi retentum nomen *Sauli* perswasum fuisset , ipsum illummet esse , qui antehac ita ferociebat in Christum , cuius nunc est testis.

Optima tui nominis mutatio esset ex impiò , pius. Vel , ut dicere solebat Carolus M. Si nomen haberet Adamus , & cognomen Abrahamus. Id est si laboriosus esses ut Adam , pius , ut Abraham. Alias etiam dicitur : Non erit Izraëlite , qui priùs non fuerit Jacobita. Izraël idem est , ac videns DEUM : Jacob idem , ac luctator. Nemo itaque ad DEUM perveniet , qui non cum passionibus acriter pugnaverit.

Ad Rom. 12. v. 1. Obsecro vos Fratres per Misericordiam DEI. Quare per Misericordiam DEI obsecrat , & non per

per Majestatem , vel Gloriam DEI ? *¶*
 Causa est , quia , qui per medicinam ,
 aliquem morbum evadit , is aliis pari
 infirmitate laborantibus , simile adhibere ,
 & svadere solet remedium. Hinc quia
 Paulus à perfecutionis crimine per Mis-
 ericordiam DEI evasit , & in Apostolatus a-
 picem evectus , incitatus est , ut eadem DEI
 Misericordia , ad curandum Romanos uti
 vellet. ita Chrysoft. serm. 108.

Satis superque Concionatores suos Audi-
 tores , Confessarii suos Poenitentes obsecrant
 per Misericordiam DEI , perque alia ejus at-
 tributa , ut convertantur , neque tamen eos
 subinde curare valent ob cordis eorum duri-
 tiam. Quinimo , ut dicit S. Bern. serm. 2.
 de Resur. Domini. Nonnulli durâ cervice ,
 & attritâ sunt fronte , ut quò magis eis com-
 patimur , tanto magis compassionem nostrâ ,
 & patientiâ abutuntur. Vitia erunt , donec
 homines , inquit Tacitus.

99. Quare S. Paulus scribens jurabat ,
 loquens nunquam jurabat? *¶* Quia , ut
 observavit S. Augustinus , considerabat
 S. Paulus quod proclivis esset lingua ad
 Iapsum , idcirco inter loquendum jurare
 formidabat , quod tamen inter scribe-
 dum facere non metuebat. Stupor enim

manūs , & calami scriptorii tarditas ,
moram adferunt , ut calamō attentius
exarari verba possint , quām lingua pro-
mi. Falsa juratio exitiosa est : vera ,
periculosa , nulla secura inquit Aug.

Habet receptissima Judæorum traditio , to-
tum mundum in illa hora tremuisse , in qua
Lex illa : Non assumes Nomen Domini DEI
tui in vanum. promulgata fuit. Hæc Novari-
nus Lib. 8. cap. 6. num. 31.

Ad Rom. 12. v. 20. Si esurierit ini-
micus tuus ciba illum , si sitit , potum
da illi , hoc enim faciens , carbones ignis
congeres super caput ejus. Quæritur ,
quis sensus horum Pauli verborum ?
Istum ; Si inimicus tuus esurierit , &
sitierit , præbe illi victum , & potum ;
illa namque pietate , & liberalitate con-
geres carbones , hoc est : illum confun-
des , ut rubore facies ejus non aliter tin-
gatur , ac si meri carbones essent. Nun-
quam nobiliorem ab inimicis vindictam
capimus , quām cùm eorum malefacta ,
bonis officiis compensamus ; tunc enim
incedimus speciosis pedibus evangelizan-
tium pacem , evangelizantium bona ; &
via Christi sic præcipientis : *Diligite in-*
micos vestros , benefacite his , qui ode-
runt vos. Matth. 5. v. 44.

101. 1. Cor. 4. v. 8. *Jam saturati estis, jam divites facti estis.* Qualis hæc locutio? ¶ Ironica. Velut Paulus dixisset: *Ludit vos turpiter, ac periculose vestra imaginatio, quæ facit, ut jam saturos, & expletos, & peropulentos vos in spiritualibus putetis; insatiabilis est enim Pietas inquit S. Chrysostom. ut nunquam divitarum desideria satiantur, sic nunquam satisfecisse putare debet Christianus;* quantoscunque in via pietatis, & semita virtutis progressus fecerit: *quantumcunque auctus copiis spiritualium opum fuerit, semper cœlesti hydrope, religiosa siti; pia fame, plures, plurésque appetere, & opulentiores thesauros cupidissimè, & avidissimè optare debet.* *Mentis puerilis est inquit Chrysostomus existimare se totum accepisse. Mentis puerilis? ita. Nam si puerum à domo quantum est jactus lapidis abducas, vel mox fatigatur, vel mundi finem attigisse arbitratur; si aurichalcum illi des, adamantem putat.*

102. 1. Cor. 7. v. 27. *Alligatus es Uxori?* Cur non dicitur: *Copulatus, vel conjunctus, sed alligatus?* ¶ Quia, ut dicit

dicit S. Hieronym. qui Uxorem habet ,
 & debitor dicitur , & servus Uxoris ,
 & (quod malorum servorum est) alliga-
 tus. Miserum est perdere libertatem ,
 qui uxoratus est, est veluti servus, isque
 carceri addictus , & conjunctus insolubili
 Uxoris catenâ. Uxores sunt vincula , quæ vi , & tenacitate Matrimonii , sic
 obligant , & coarctant viros suos , ut
 se exolvere , & evadere nunquam possint ,
 quamvis cum Uxoribus sint curis infinitis ,
 perpetuisque laboribus , & plus
 quam mille , sexcentis calamitatibus ex-
 positi.

Caveant Sacerdotes , & Religiosi , ne cui-
 quam Uxorem procurent , sed hoc , quantum
 licuerit , officium , magis recusent , ut
 execrationes diras , & varias verborum injuri-
 as effugiant , quas in eos , quos Matrimo-
 nii sui Iuvenes habuerunt , nupti evomere
 solent , quoties corrixantur , & molestia ipsis
 quantumvis levis accidit. Nemo militans Deo
 implicat se negotiis saecularibus ; ut ei pla-
 ceat , cui se probavit. 2. Timoth. 2. v. 4.

1. Cor. 15. v. 8. Novissime autem omnium, ¹⁰³
 tanquam abortivo visus est , & mihi.
 Quid est hic esse abortivum ? v. Olim
 etiam Senatores Romani , vocabantur
 abor-

abortivi , illi , teste Svetoniō , & ex
hac ratione , qui , & quòd extra ordi-
nem , & gratiā in Senatum adlegebantur.
Sic S. Paulus in hoc capite , voçat se
abortivum , quia extra tempus , extra
ordinem in Collegium Apostolorum ad-
scriptus fuit.

Quid dabis Domino Deo tuo , quòd ex
infinita suæ bonitatis abyssio , te ex tot mil-
lionibus hominum , in numerum Christiano-
rum Catholicorum adlegerit ? quantum hoc
beneficium ! Nullæ , inquit Aug. serm. I.
de Verb. Apost. cap. 4. maiores divitiæ sunt,
nulli thesauri , nulli honores , nulla mundi
hujus major est substantia , quam Fides Ca-
tholica.

104. 2. *Tessal. 2. v. 4. Anti-Christus di-
citur se extollere super omnem DEUM ,
& super omne , quod dicitur DEUS .*
Qualiter id dicitur , cum non sit nisi unus
DEUS ? *v.* Extollet se super omnem
DEUM , quia efferet se non tantum su-
per Christum , sed etiam , & multo ma-
gis super omnes Deos Gentium , & quid
quid in orbe pro Deo adoratur , & co-
litur , sive cui Nomen DEI , seu verè ,
seu falsò tribuitur. Extollet ergo se su-
pra Patrem Filium , & Spiritum San-
ctum ,

Etūm , qui sunt verē DEUS ; ita supra
fictos gentilitatis Deos , v. g. Jovem ,
Neptunum , Phitonem &c. supra Idola ,
& simulacra gentium.

Deus alienus , est propria subditorum vo-
luntas , quā superbē ingrediuntur , & extol-
luntur , sibique quodammodo divinos adscri-
bunt honores , qui Superiorum placitis ac
quiescere nolunt , sed repugnare contendunt.
Præpostera cura est , ad retinendam propriam
voluntatem , dimittere cœlum.

Ad Tit. I. v. 1. Paulus servus DEI, 105.
Apostolus autem JESU Christi. Cur
 Paulus dividit Titulum alterum ab alte-
 ro , quasi sibi mutuò adversarentur. Nam
 nullus melior Apostolus JESU Christi
 esse potest , quām qui est Servus DEI?
 v. Paulum divisisse Titulos , quia , ut
 inquit Primasius : *Discrevit Apostolatum ,*
quia non omnis , qui servus , statim &
Apostolus. Voluit Apostolus quorum-
 dam facilitatem , & levitatem corrigere ,
 quā nimis cito magnificant suas , vel a-
 liorum actiones. Nam , ut quis eō per-
 veniat , ut nomen tam sublime mereatur ,
 necessum est præcedere prodigiosissimas
 actiones , heroicas virtutes , & eminen-
 tissimos sanctitatis gradus.

R

Quid

Quid te jactas , quod unō die veneris jejunaris , vel die unā Cilicum indueris ? per hoc sublimem thronum necdum ascendisti , nec Apostolus factus es. Unā lampade præluente unius alicujus virtutis , non invenies portam Senatus Apostolici ; lampades plures habere oportet. Si in horto tuo , unicum non nisi florem habes , non est , quod de viridario glorieris.

106. *Philem. v. 1. & 2. Paulus vincens
JESU Christi - - - Philemoni dilecto
- - - & Appiae Sorori charissimae , &
Archippo commilitoni nostro.* Quæritur ,
cur Apostolus inter duos , eosque tam
heroicos , & illustres Viros medium po-
nit Appiam Mulierem ? Cur Appiam Ar-
chippo præponit Fidei Christianæ pro-
pugnatori acerrimo ? *¶* Causa est , ut non
videatur sexūs ordinem habere , sed me-
riti. inquit Anselm. in comment. hujus
Epistolæ. Cūm Apostolus animadver-
tisset Appiam magnitudine virtutum , &
vitæ præstantiâ Archippo superiorem
esse , superiorem etiam sedem in sua Epi-
stola , illi assignavit , ut ea re doceret ,
in Domo DEI , solam dierum antiquita-
tem , nisi comites habeat virtutes , &
conuncta merita , non valere.

Familiare est , apud quosdam , tempus ,
 quō se officiis DEI mancipárunt , Sacrumque
 Habitum induerunt , recensere . Hic nume-
 rat 10. Annos , ille 20. alius 50. nonnemo
 60. non sit tamen , quem falsa hæc calculan-
 di ratio decipiat ; Is enim in tabulis tempo-
 ris solus ponı dies debet , quō quis in studio
 actionum meritoriarum , Legum divinarum ,
 & humanarum , suæque regulæ observantia ,
 occupatur : Solumque attendi de bonorum
 operum usu natum sudorem , & laborem ,
 non verò dies multos , & annos longos .
 Non quamdiu , sed quam benè . Non qui
 multas horas eundo terit , multum itinerari
 dicitur , sed qui plura milliaria post se relin-
 quit . Gloriosius multò est , suâ virtute ,
 quam temporis dono senuisse ; satis enim diu
 vixit , qui benè vixit .

Ad Hebr. 7. v. 3. Melchisedech sine 107.
 Patre , sine Matre , sine genealogia . Quo-
 modo Melchisedech sine his , cùm non
 fuerit primus homo , nec cum Adamo ex
 limo terræ productus , v. Dici eum sine
 Patre , sine Matre , sine genealogia , non
 quòd iis caruerit , inquit Menochius ,
 sed quòd de illis non constet . Habuit
 ergo Melchisedech (Rex justitiæ ; &
 pacis) genealogiam , sed Spiritus San-
 ctus non dictavit , quæ sit illa .

In curiis , ubi ventilantur hominum causæ ,
 R 2 omnes

Omnes deberent esse sine Patre , sine Matre ,
sine genealogia , sine respectu . Nam justi-
starius ille Melchisedech in causis ad se de-
volutis non respiciebat , quis Actor , quis
Reus ? non attendebat , estne amicus iste ,
vel ille inimicus ? Nobilis ille , vel ignobi-
lis ? Hodie planè aliter plerumque cum ami-
cis agitur , quos sàpè , sàpiùs manibus am-
babus juvamus , ut tantum citius in altum
perveniant , posteaque nos etiam in altum
attollant.

108. *Judæ v. 7. Sicut Sodoma , & Go-
morrha exfornicatæ , & post carnem al-
teram abeuntes . Quid est exfornicatæ ?
& quid post alteram carnem ire ?* ¶ So-
doma , & Gomorrha exfornicatæ , id
est extremè fornicatæ , seu extremam ,
ac pessimam libidinem , puta præposte-
ram exercentes : & post carnem alteram ,
seu alienam , ab instituto , & usu natu-
ræ abeuntes , masculi masculis , fæminæ
fæminis , bestiis , vel dæmonibus incu-
bis , vel succubis , se commiscentes .

Homo refractis semel timoris divini , &
castitatis repagulis , omnia in pestem vertit ,
adeò , ut ubi negotium salutis curare debe-
ret , exitium inconcessæ libidinis usu sibi
procuret . O ignem modicæ concupiscentiæ ,
igne perenni gehennæ luendum !

Judæ v. 8. Dominationem spernunt. 109.

Quomodo? **P**ropter quia suis passionibus cedunt, ut istæ potius ipsis, quam hi illis dominantur, & succumbere faciant. **V**el Dominationem, id est Magistratum omnem civilem, tum Ecclesiasticum spernunt, ac detrectant, somniantes se per Christum liberos factos ab omni Superiorum obedientia.

Cogita! DEUM occulte communicare suam lucem superioribus, neque deesse suò succurso, & protectione: Te ipsum verò subjici oportet voluntati alienæ ex amore DEI, quam exponi erroris, & gravis mali periculo. Sicut tyrrannica superiorum oppressio, Prælationis jura violat: ita subditorum insolentia, obedientiæ Principatum destruit, & enervat.

*Apoc. 2. v. 4. Habeo adversum te, 110.
quod charitatem tuam primam reliquisti.
Quæritur, quis ille, ad quem hæc
querela?* **P**ropter Timotheus est, Angelus Ephesinæ Ecclesiæ, qui de fervore primo in convertendis gentilibus, & promovendis Christianis ad meliorem frugem aliquantum remiserat.

In caput nostrum eadem verba dici, & seriùs existimemus, quæ Timotheo jussit scribi Deus. Quamdiu adhuc amor DEI in cordibus nostris arsit antequam frigesceret: ô cum quan-

te gustu , & gestu cum DEO egimus ! quomo^do crucifixos cordi appressimus , & ori admovimus ? Postquam autem amor remisit , & cor intepuit , ô quam alii sumus ! quam inversi ! jam crucifixus telis aranearum tectus pendet in pariete . Jam sumus alii ; prius quasi ad divina volantes , jam plumbeis pedibus incedentes . Jam DEUS in Altari ægiè judaicâ reverentiâ salutatur , & vix interea tamdiu os à confabulatione detinetur , donec utraque consecrationis forma abolvatur . Preces prius quotidianæ , modo fiunt menstruæ , si non prorsus annuæ .

III. Apoc. 2. v. 22. *Ecce mittam eam ad lectum.* An forte ut requiescat , & somnum capiat ? ¶ Minimè , sed , ut ibi scelerum suorum meritas pœnas luat , & dignos cruciatus subeat . At quomodo lectus equuleus est , & lamina ardens ? Dico , ut Jezabel acriores daret pro sceleribus suis pœnas , conjecta fuit in stratum , ut ibi suspiraret , ubi respirare alioquin poterat , ibi acerbos gemitus ederet , ibi diris lamentis præ intollerabilibus viscerum , & animi cruciatibus personaret , ubi dulcem somnum capere solita erat . *Quid ærumnosius , cùm ipse lectus ad communem quietem datus , grave vulnus infligat.* Inquit S. Ambrosius lib. 1. de interpellatione Job . Tom 1.

Lectus

Lectus est securitas , & impunitas peccandi , in qua peccator , quasi in mollissimo lecto quietiens , ex uno scelere in aliud , & tandem inde transit ad lectum gehennæ in quo cubant damna ti. inquit *Primasius.*

Apoc. 3. v. 7. Hæc dicit Sanctus, si 12 verus : qui habet clavem David. Quæ illa Clavis David ? *¶ Clavem David communiter accipi pro clavi scientiæ, quæ peculiariter dicitur clavis David ;* *eo quod ille præ aliis luculentius cecinerit mysteria de Christo , & Ecclesia.* Rectè quarta mundi ætas incepit à David, quæ respondet quartæ diei creationis, in qua facta est formatio luminarium , & stellarum ; Davidis enim ætate viguit Regnum , & Sacerdotium : quia David Rex multum ampliavit cultum Divinum.

Quis modò ampliat cultum divinum ? nisi is, qui ita comparatus est, ut malit , nescio quæ mala subire , quam ut DEI reverentia pereat.

Apoc. 7. Sanctus Joannes meminit si 113 signatorum ex Tribu Filiorum Israël , & omittit Tribum Dan, Cur ? *¶ Ne unum quidem signatorum fuisse ex Tribu Dan;* *siquidem illi tyranni , homicidæ , & raptiores fuerunt : & qui ad preces in-*

justè oppressorum obturaverunt aures
suas , ne audiant , néve justitiam admi-
nistrent.

Quam odiosa DEO tribunalia , ubi sus
deque justitia vertitur : ubi prævalent flagi-
tiosi , succumbunt Innocentes : opprimuntur
virtutes , & triumphant vitia , & fit vicitor,
qui loquacior , non qui veracior.

¶ 14. Apoc. 12. ¶ 12. Væ terræ , & ma-
ri , quia descendit diabolus ad vos ha-
bens iram magnam , sciens , quod modi-
cum tempus habet. Quid est hoc : habens
iram magnam , & quia : Modicum tem-
pus habet ? ¶ Diabolus in hora mortis
hominum maximè ferocit , & impetu-
sissimè furit , & quam vehementissimè
impetu potest , in moribundos invehi-
tur , sciens , quod modicum tempus
habet , id est , quod in finem vita hominis
decurrit , captandæque prædæ spes omnis
avolavit , cum manus illius semel Ani-
ma evasit , ac proinde scit perpetuo se
victum , nisi hac vice vicitor evadat.
Mortis felicitas , à vita pendet. Benè
vivere , laboris ; benè mori , felicita-
tis est.

¶ 15. Apoc. 21. ¶ 17. Mensura hominis ,
que

*quæ est Angeli : Quis mensuræ hujus
& illius sensus ?* ¶ Mensura Angeli,
quâ usus est in Urbe dimetienda. erat
planè mensura hominis, id est talis
quali communiter solent uti, hominis
nempè cubitus, qui pedem unum cum
dimidio complectitur.

Eadem Mensurâ ad metiendam tam tibi,
quam Angelo gloriam, & beatitudinem
neinpè pro magnitudine gratiæ, & bonorum
actuum, poteri ad mensuram Angelicæ Glo-
riæ in Cælo partingere, si in terris virtutib-
us illos æqua eri. Nam juxta meriti quan-
titatem gaudia Cœli mensurantur.

*Apoc. 21. v. 21. Duodecim portæ , 116.
duodecim margaritæ sunt. Quæritur ,
quis sensus mysticus portarum duode-
cim , & totidem margaritarum ?* ¶ Per
portas int̄ lligi Apostolos , & viros A-
postolicos. Horum vita , & doctrina
est margarita , seu unio , cuius gratia ,
& splendor in virtute consistit ; si enim
seces , & dividas , perit. Ita vitæ Re-
ligiosæ decus , & fulgor , in concordia ,
& charitate fraterna consistit , quæ si
pereat , perit Religionis species , &
sanctitas.

Frater ! Margaritæ flavescent in senecta ,
rugisque

magisque torpescunt, inquit Plin. ita & Religiosis senescentibus torpescit, & penè evanescit, primus ille vigor, & spiritus, nisi gestiant ad noviciatū, humilitatis ac fervoris redire primordia. Unde quidam Religionem ingredi volens, quæsivit à Sancto quodam Patre, quomodo vivere deberet? Dixit: vide qualis primo die fueris, & sic semper vive. Hoc est, considera statum voluntatis tuæ in prima die qua Religionem intrare disposuisti, quam humilis tunc fuisti, quam paratus per omnia obedire, & ad omnia tam aspera, quam despecta! quam patiens ad correctiones penurias, & labores: quam verecundus. & timoratus; quam silentiosus, & humilis: quam diligens oculorum custos! quam parcus in verbis: quam pacis amans: quam modestus in comedendo, quam humilis in sedendo! verbò, quam sollicitus, ut vitam in melius commutares.

117. *Apoc. 22. v. 16. Ego sum radix, & genus David?* Quæritur, qualiter hoc intelligatur? an sic, quod Christus sit radix Davidis, vel David radix Christi? *v.* Aliquos sic interpretari, quod illa radix non sit, quæ Davidem produxit, sed quæ à Davide producta, & generata est. Quasi diceret: Christus est radix, id est ramus, & stirps ex radice id est ex familia Davidis. Alii, ex qui-

quibus Rupertus dicunt, quod Christus quoad Divinitatem, sit radix Davidis licet quoad humanitatem fuerit ipse ex radice Davidis.

Magna est hodie copia eorum, qui sunt radix, & genus Illustrissimi stemmatis: radix ex spectabili genere; haec est gloria, & nomen gloriosum; ut tamen coram Deo juvet, virtutibus plenos, non vitiis ipsos esse oportet; quid enim faciunt fôrdes animorum in splendore Natalium? Nobilitatis tuæ tantum ad hoc memineris, ut cum claritate generis, morum sanctitate contendas inquit S. Hyer. Epist. I. ad Demetriad. & Epist. 14. sic habet: potior, & nobilior est, non quem nobilitas generis, aut dignitas sæculi, sed quem devotio Fidei Deo, & sancta vita commendat. Quam vitam sanctam in terris, & mercedem felicitatis æternæ in cœlis: concedat nobis, qui est Alpha, & omega. Principium, &

F I N I S.



124
George Washington, the tenth President of the United States, died at Mount Vernon, December 14, 1799. He was born at Westmoreland County, Virginia, February 22, 1732. His father, also named George Washington, was a planter and a soldier in the British Army. He married a widow, Mrs. Mary Ball Washington, in 1731. They had six children: George, Lawrence, John, Charles, Samuel, and Martha. George Washington was educated at home by his mother and by a tutor sent from England. He studied law and became a lawyer. He was elected to the Virginia House of Burgesses in 1754 and served there until 1774. In 1759 he married Martha Dandridge Custis, the widow of Major General Daniel Parke Custis. They had four children: George Washington, Jr., Martha, and two sons who died young.

In 1775 he was appointed Commander-in-Chief of the Continental Army by the Second Continental Congress. He led the army through many difficult battles, including the Battle of Bunker Hill, the Siege of Boston, and the Battle of Saratoga. He was instrumental in securing American independence from Great Britain. After the war, he became the first President of the United States, serving from 1789 to 1797. He was re-elected for a second term in 1792. He retired from public life in 1797 and died at Mount Vernon on December 14, 1799. He is buried in the family vault at Mount Vernon. His wife, Martha Washington, died in 1802. They are buried together in the family vault at Mount Vernon.

THE END



